STROBEL
BELGER
DESCRIPTIO
POLITICA
MEDICÆ
1621

IX

~~d d d~~

~~15~~

B B

e

25

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

STROBELBERGER, J.S.

65826/A

JOAN - STEPHANI STROBELBER-
GERI Phil. & Med. D.

GALLIÆ PO-
LITICÆ MEDICÆ
DESCRIPTIO,

De qualitatibus Regni Gallici, Academiis, Urbibus, Fluviis, Aquis medicatis, plantiſque diſſerens.

Hac ſecunda editione correctior Typo tradita.

Cui de novo acceſſit

LUCÆ GVARINI Clypeus Spiritualis, quo ſe quivis peregrinator ab omnibus hoſtibus defendere & è quovis periculo tutus evadere poteſt.

ET

BERNHARDI GORDONII *Breviſſima pro iter agentibus inſtructio, quid his ad bonam valetudinem conveniat.*

JENÆ
Typis & ſumptibus Johan. Beithmanni, Anno 1621.

II2

Perilluſtri ac Generoſo Heroi Domino,

Dn. GEORGIO LUDOVICO COMITI de Schwartzenburg / Domino in HohenLandesberg & Murau/ &c.

Domino ſuo Clementiſſimo.

DUO FORtaßis mirabe-ris, Illuſtrißime & Generoſißime Comes; atq; haud ſcio an in-

juriâ. Unum eſt, quo[illegible] penè Tibi ignotus Tuam Generoſitatem compella- re hoc ſcripto auſus fue- rim: Alterum eſt, quo[illegible] non ſatis amplum & pin- gue Tibi Sacrum offe- ram, exhibeamq́; quip- pe, qui ob ſummam nomi- nis ac generis celebrita- tem eximiamq́; Pruden- tiæ adminiſtrationem di[illegible]

gniori longè munere munerandus, honoreq́ honorandus fores. Agnoſco equidem & fateor audax, quod aggredior opus eſſe culpaq́ penitùs non carere, ſi ſponte mea & fortuito id agerem. Verum-enimverò hæc audaciæ meæ cauſa extitit: nimirum quòd à plurimis, inprimis verò à So-

cero meo Honorandiſsi-mo, Viro Magnifico & Nobili Domino Doctori Joanne Oberndorffero Com. Palat. Cæſ. tuarum virtutum admiratore eximio ſæpiùs perceperim, Te Literatorum ſtudiis ac conatibus fovendis ſemper fuiſſe non ſolùm ſtudioſiſsimum, ſed & præter Politices &

omni-

omnium ingenuarum ſcientiarum ac linguarum cognitionem perfectiſsimam, Te ipſum peregrinationibus, quibus Regionum ſitus & Nationum ingenia noſſe Tibi curæ fuit, animum tuum ita prudentiâ firmaſſe & contemperaſſe, ut adverſus vagos & inconſtantes fortunæ flu-

ctus intrepidè quacunque exigente neceſſitate ire non ceſpites. Quapropter præſens hoc noſtrum itinerarium, in quo Galliæ Regnum medicè-politicè breviter deſcripſimus ſub Tuo, Perilluſtris ac Generoſe Comes patrocinio in lucem dare non erubui, tùm ut à Nominis tui & virtutum claritate

en

ei, utpote per ſe obſcuro opuſculo ſplendor accederet, tùm ut adverſus malevolorum, quos ob virtutis ſtudium hactenus plurimos habui, injurias Te Clypeum haberet firmiſsimum.

Accipe igitur, quod nomini tuo appendimus, leve munuſculum, nec id qualecunque deſpice, ut

idem de Tua Generoſitate prædicari poſſit, quod de Alexandro Magno memorabiliter inclamant Hiſtorici, eum nempe vel malum punicum à plebejo quodam homine oblatum in deliciis habuiſſe. Vale, & ſubditos tuos feliciter guberna. Pragæ ex Muſæo noſtro & Aula

Suvan-

Svvanbergica 1. Januarii 1619.

Illuſtr. Generoſ.
Tuæ

Addictiſſ.

Joan-Stephanus Strobelbergerus D. Aulæ Svvanbergicæ Medicus
Ordin.

JOANNES OBERNDORFFERUS COMES Palatinus Cæſareus

Candido ac Benevolo Lectori S.

HOmerus omnis Philoſophiæ Parens, Ingeniorum decus, atq; omnis ſapientiæ humanæ Oceanus de ſuo Ulyſſe Viro ſapien-

pientiſſimo & aſtutiſſimo inquit: Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδων ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω: Et ut Horat. hujus Interpres,

Multorum providus urbes—
—Et mores hominum inſpexit.

Quibus innuere voluerunt, πολύτροπον Ulyſſem, hunc peregrinando nõ tantum hiſtoricam ſibi cognitionem comparaſſe: ſed & omnium moribus hoc decenna-

li bello ſeſe accommodare ſciviſſe prudenter, imò quod omnium maximum ad componendos animi ſui motus mentem ſuam rationi prudentiæque legibus ſubjeciſſe, ſeipſumq; viciſſe.

Decet enim peregrinantem ſedato prorſus & tamen infracto

eſſe animo, ingenio acri& perſpicaci,ut quid ſequendum quidvè fugiendum ſciat, animumq̀ue ſuum in omnes fortunæ eventus ad ſapientiam informet. Quæ omnia tandem in bonum refert finem,& ad Patriæ,ſuorum & aliorum utilitatem accommodat.

Di-

Divinus Hippocrates, magnus omnium Medicorum & Philoſophorum Dux & Princeps, Vir arte & facundia inſignis, paulò ante Peloponneſiacum bellum, cum Medicinam præceptis & exercitatione indigere intelligeret, peregrinationes ſuſcepit, & hi-

ſtorias

ſtorias morborum, quę in Coo Inſula in Æſculapii templo, tùm & in reliquis templis Deorum Anathematum loco in tabellis deſcriptæ ſuſpendebantur, exſcripſit, omneſque obſervationes in unum colligens, primus fuit, qui Artis Medicæ præcepta generalia tradidit,

dit, ut Libri Epidemiῶν abundè teſtantur, ſicut nullus adhuc inventus, qui ejus gloriam adæquare, ne-dum ſuperare potuerit, ut Plinius lib.29. cap.1. & Soranus in ejus teſtatur vita.

Quid de Galeno viro etiam in minimis diligentiſſimo, & nunquam ſatis pro dignitate

te commendato dicā? An non Parentis liberalitate ſumptus in ſtudia maximos fecit, peregrinationes ſtudiorum gratiâ difficiles, laborioſas & tranſmarinas ſuſcepit & perfecit? Smyrnæ Pelopem audivit; Numeſianum Corinthi, Alexandriæ quoque diu commoratus

tus eſt; Ea relicta ad Palæſtinam Syriæ exportandi Opobalſami gratiâ & bituminis Judaici inſpiciendi, contendit. Non minore ſtudio in Lemnum Inſulam navigavit, ut quę de Terra Lemnia tradebantur, vera-ne eſſent, præſens inſpiceret, & ipſius copiam ſecum

cum auferret, primùm cum ex Aſia Romam Imperatoris juſſu proficiſceretur, quo tempore tamen, non ad eum, ubi Terra Lemnia reperitur, locū à Nauclero deductus eſt: Itaque ad ſuum in Aſiam reditum diſtulit. Secundò cum ſe in Aſiam reciperet, ad eam quam vo-

voluit Lemni partem, pervenit, ut ipſe lib. 9. de ſimp. med. fac. teſtatur pluribus: Nec-non in Cyprum, inde inſpectis metallis, Cadmiam, Pompholygem, Diaphryges & alia quãplurima in uſum ſuorum popularium Pergamenſium advexit: Sed & Lyciam aliquan-

do

do totam ſola rerum inveſtigatione indefeſſaq; perſcrutatione allectus parvo prætervectus eſt navigio. Quid multa? Ipſe ut fidelis & veridicus, quiq; omne tempus in literarum & rei medicæ amplificandæ ſtudiis aſſiduè collocavit, Comment.3.in Hipp. lib.de vict. rat. in

acut.

acut. ſcribit, ſe vinum aquoſum id laudās pro febricitantib paſſim reperiſſe in Cicilia, Phœnicia, Palæſtina, Scyro, Creta, Ægypto & aliis, quas peragravit, regionibus omnibus.

Nec officio ſuo defuerunt optimi quique & ſapientiſſimi Veterum. Inter quamplurimos

rimos invenimus longinquis peregrinationibus remotiſſimas regiones ſummo perluſtrâſſe ſtudio Orpheũ, Muſæum, Homerum, Lycurgum, Pythagoram, Plinium, Platonem, Solonem, Herodotum hiſtoriarum patrẽ, Dioſcoridem Heroẽ in re herbaria, Plutar-

tarchum, Ptolomæum, Mithridatem Regem Ponti, Auguſtum Cæſarem, Hadrianum Imper. & alios innumeros, eo ſaltem fine, ut omnibus prodeſſe, obeſſe nemini voluerint, quorũ ſcriptis, ſi nunc careremus in profundiſſimo miſerabilis ignorantiæ abyſſo ſubmerſi eſſemus.

Noſtro hoc ſeculo rara & varia in lucem edideru nt multi, quæ peregrinando obſervârunt, Julius Scaliger, Joannes Ruellius, Fernelius, Rondeletius, Garcias ab horto, Carolus Cluſiꝰ, Melchior Guilandinus, Præceptores & Amici mei ſummi &venerādi p. m.

Amatus Luſitanus, Pe-
trus Andreas Matthio-
lus, Olaus Magnus, Cō-
radus Geſnerus Polyi-
ſtor ille admirandus &
multiſcius, Robertu
Dodonæus, Valeriu
Cordus, Rauvvolfius &
alii innūeri, quos bre-
vitatis causâ omitto
imitatus Columellam
qui ſcribit lib.5. rei ruſt.
u

ut in magna Sylva Venatoris eſt feras quamplurimas capere, nec cuiquam culpæ fuit omnes non cæpiſſe: ita nobis ſatis abundeque eſt tàm diffuſæ materiæ quam ſuſcepimus maximam partem bonorum auctorum tradidiſſe.

Hiſce jam enumera-

tis antiquis & Recentioribus Authoribus; laudem etiam noſtro ſæculo non poſtremam meretur *Dn. Joan-Stephanus Strobelbergerus*, *Sanioris è Monte Pelio Medicinæ Doctor*, omni doctrinâ & virtute ornatiſſimus; nec non Gener mihi amiciſſimus, qui in primo juven-

ventutis ſuæ flore multas regiones nationesque exteras adiit, & itinera ſatis longinqua ſuſcepit, atque divinâ favente gratiâ eadem feliciter perfecit, in quibus ea ſimul obſervavit, quæ ad inviſendam Galliam præcipuè Medicinæ Studioſis, necnon & aliis utilita-

tem allatura ſunt haud exiguam: inprimis, ſi legerint in hoc opuſculo de ejuſdem regni florentiſſimi omnium Academiarũ celebriorum ſtatu, de Urbium præcipuarum ſitu, fluviis dignioribus, Aquis medicatis, Fontibus mirabilibus, plantis, fruticibus, herbisque ra-

rarioribus, & aliis ſcitu neceſſariis, à nullo hactenus unquam tâm accuratè obſervatis.

Hujus itaq; primum fœtum Candide & Benigne Lector hilari & generoſa fronte grataque mente accipe, & æqui boniq; nunc conſule, rogo, cui haud multò pòſt Deo Duce

ſuccedent alii. Tu ſi Vir bonus, bonum pro bono repende, ſi potes; ſi verò non, noli Autorem clam mordere, quia ingratitudo maxima vitium deteſtabile, aut quod bonum, honeſtum, utile, noli reprehendere, quia ſupervacanea ſapientia: Id ſi facis, ſcito:

Μω-

*Μωμίζειν facile eſt cuivis, ſed ritè μιμί-
ζειν*
*Qui queat, ex multis unus & alter
erit.*
*Si neſcis, tenta, multum ſudabis, &
iſta*
Verba tamen dites: Hoc opus hic
labor eſt.

Benè vale genuina ſoboles & legitima Magni Hippocratis poſteritas, ac in Neſtoreos annos vive feliciter.

AUTOR

CANDIDO LECTORI S. P.

QUamvis exterarum Regionum inſpectiones & aditus nonnihil incommodi moleſtiæque præ ſe ferre videantur; illud tamen Mens curioſa & peregrinationum avida neglectis ocioſis & mollioribus

lioribus deliciis, decenti laborum tolerantia facilè ſuperare, viarumque aſperitates perrumpere annititur. Ut ergò iis, qui in Galliæ florentiſſimum Regnum ſtudendi aut ſaltem explorandi cauſa iter in poſterum ſuſcepturi ſunt, ſolatio eſſem, hunc libellum pro viatico fideli & ex ſyncero corde profecto in eorum gratiam deproperare non dubitavi. Præſertim cùm earum rerum, quæ hîc publi-

camus, nos ipſi inſpectores fuerimus, nullaque ferè ipſarum mentio ab aliis hactenus facta ſit, quamvis plurimi hinc inde libelli de rebus Gallicis conſcripti aut potiùs ex aliis deſcripti proſtent. Quod eo fine à me ſuſceptum opuſculum eò cordatius perficere volui, ne mihi ſoli, ſed & aliis ingeniis adoleſcentibus, qui in Gallicorum monumentorum oculari inſpectione aut eorum lectione animum paſcere deſi-

deſiderant, nat9 viderer. Peregrinandum enim, inquit Mercurius Gallicanus. non tantum cum delitiis, ſed etiam cũ operæ precio. Vagari, luſtrare, diſcurrere quilibet poteſt, pauci verè peregrinari. Tu, ut id queas tria inter peregrinandum inveſtigato, honorem, frugem, ſuavium. Viros inſignes diverſis in Academiis audies, ab iisque ſapientiam hauries, Pythagoræ, Platonis & aliorum exemplo, quos unicam

cam hanc ob cauſam peregrinatos fuiſſe conſtat, ut non doctos ſolùm, ſed & prudentes Viros coràm & cernerent & audirent. At plurimum hodiè à permultis peccari videmus, cùm pueri à ſuis in Galliam aliavè loca remota ablegantur: qui hoc unico egregii peregrinatores videri volunt, ſi linguas exteras etiam in vernacula imitentur, mores patrios ſubrident, peregrinationes ſuas quolibet loco, immò ſæpè etiam

com-

commentitiis rebus ac nugis attollunt: Rarò Virorum Illuſtrium ab his ſit mentio, quin potiùs cauponas, procaces ludos, epula, ſcelera, ſcorta ad digitum recenſent. Quicunq; *igitur* Medicinæ-Politicæ Studioſus *cum deliciis & operæ-precio* Galliæ Regnum *adit, ei duo erunt conſideranda, Loca nempe & Locata. Loca perluſtrãda ſunt Academiæ celebres, Officinæ medicæ, Laboratoria, Pharmacopolia, Horti,*

ti, Montes, Inſulæ, Metallifodinæ, Thermæ, Vrbes populoſæ &c. Locata ſunt perſonæ & Viri clari, res antiquæ & ſimiles notatu dignæ, diæta, præſertim eduliorum, vinorum, obſoniorum, herbarum genera, condimenta, facultates & cætera: de quib. omnibus & ſingulis hunc noſtrum diſcurſum boni conſulat ingenuus & ſincerus quilibet animus.

SECT. I.

SECTIO PRIMA.

De qualitatibus Regni Gallici.

QVoniam in deſcriptione Regionis alicujus ante omnia ſitum lociq; poſitionem proponere æquum eſt: ſciendum itaque *Galliam*, quæ circuitu ſuo milliaria plus minus octingenta continet, ea parte quâ ad Orientem vergit per altiſſimos montes, quos *Alpes* vocant, ab *Italia*;

ad Septentrionem per montem *Juram* ab *Helvetia* & *Rheno* à *Germania* diſſecari: quâ verò ad Occaſum extenditur, ibi ab *Oceano*, præcipuè ubi *Angliam* reſpicit *Mari Britannico* copiosè allui; & verſus meridiem, ubi *Hiſpaniæ* ſeſe adjungit per montes *Pyreneos* *Mariſq́ Mediterranei* appulſu limitari finirique.

Cum verò hæc Regio patentiſſima, ſecundum diverſas ſuas Provincias, varias admodum qualitates & naturas obtineat, nobis autem propoſitum ſit totius Regni dotes, laudes ac bonitates hîc breviter deſcribere: in

in genere verò de iis loqui, nil aliud foret quâm ipſas Provincias diverſas earumque proprietates differentes confundere: Quapropter ut diſtincta ſit noſtra narratio, cuilibet Provinciæ in ſpecie ſuum-quodq; tribuendum videtur.

PARISIENSE ſolum delicioſum valdè ac fertile eſt: Vini namque, frumenti, lacticiniorum, pabuli, fructuum & olerum copiâ luxuriat. Ad locum *Monmartre* Gypſum ingenti copia eruitur, quod ad ſtructuram tot ædificiorum magnificè adhibetur: Mirum ſanè ei, qui

hujus

hujus proventum ignorat, unde tàm ſtupenda urbs erecta fuerit. Cameras pleraſque ſtragulis ſtramineis artificiosè & eleganter ſubtextis inductas, nō modò Lutetiæ, ſed & locis circumvicinis vidimus: Incolæ nobis parietes ita inveſtiendi rationem quæſitantibus reſpondére, ob Gypſi frigiditatem hyemiſque ridigitatem hoc fieri. Ac licet Gypſum, dum vivum eſt, calidum, extinctum verò frigidum eſſe ſciamus: aliam tamen ſubeſſe rationem ex eo ſuſpicamur, quòd Gypſum noviter

parie-

parietibus obductum, venenatam ſpiret auram (unde à quibuſdam inter toxica relatum) tuncque potiſſimùm obſit partibus vitalibus ac reſpirationi dicatis: ac licet annorum ſucceſſu evanidum acrimoniam ſuam deponat, peculiarem tamen vim nervis inimicam & paralyſin facilè cauſantem obtinere omninò arbitramur.

BLESENSIS terra omnibus iis, quæ ad vitæ commodam ſuſtentationem faciunt, abundat: inſuper lignis ad ædificandum aptis, fluviis, rivis, ſtagnis & fontibus ſaluberrimis

gau-

gaudet. Inter *Orcheze* & *Blois* reperitur terra quædam medicata, Sileſiacæ noſtræ (vulgò Terra ſigillata dictæ) multùm ſimilis, de qua ſuo loco dicemus.

AGER AURELIANUS frugifer admodum ac delicioſus, iis potiſſimùm, qui venationibus gaudent: Sic & piſcationum occaſio inibi exoptatiſſima. Præcipuis verò làudibus arguitur ob vinorum tum rubeorum tum alborum bonitatem, quæ ideò non tantùm ad Pariſienſes devehuntur, ſed etiam non raro in Angliam uſque able-

ablegantur: Quamvis vina de Couſſy, d'Hai & ſimilia reliquis Aurelianis vinis ſalubriora ſint atq; idcircò delicatis potu congruentiora, utpote quæ vaporibus & fumis ſuis caput minus feriunt, quàm alia vina Aureliana. Hinc in Regis œconomia Lutetiæ cautum eſt lege domeſtica, ne Oeconomus Aurelianum vinum tanquam caput multùm feriens Regiæ Majeſtati auſit propinare; quam cautionem bona fide & certo juramento obſervare cogitur; etſi, ut diximus, Aurelienſia vina inter cætera vina Gallica ſapo-

re, quam ſuaviſſimo excellunt.

SEINENSIS tractus vini quoque & frumenti bonitate excellit? Carnes vili precio ibi conſtant: Lacticiniis & Lanâ abundat: piſcium magnam copiam nutrit. Nucum inibi proventus maximus, ex quibus incolæ oleum ingenti copia preſſu excipiunt.

CAMPANIÆ planities lignorum penuriâ laborat, ita ut diei integri ſpacio in tranſmigrando vix arbuſculam aut fruticem obvium videas, Nihilominus & alicubi fertilis exiſtit, in

in plurimis autem locis ſterilis & infida. Laudant quidam territorium de Provins, propter Conſervam Roſarum, quæ ibi optimè & magnâ copiâ paratur, indeque in præcipuas Galliæ urbes tranſportatur. Licet verò vina à locis vicinis mutuetur, frumento tamen & pecoribus per ſe ſatis abundat.

PICARDIA quinque jactat fluvios feraces, quos vernaculè *Some*, *Oyſe*, *Aineau*, *Leſcau*, & *Scarpe* vocant. Granarii inſtar eſt pariſienſibus. Omnis rerum ubertas hîc præeſt, excepto vino, quod nullum fundit

Nec ideò terræ genius culpandus, qui ſatis frugifer ac laudabilis eſt, ſed negligentia incolarum accuſanda, qui de vineis plantandis parùm ſolliciti ſunt.

NIVERNENSIS tractus tres habet fluvios navigabiles, *Loire*, *Allier*, & *Jonne*. Argenti ferrique fodinis celebris cenſetur. Olim quidem ad locum S. Leonhardo ſacrum argentum copioſè effodiebatur: nunc verò omnis labor ferri-fodiniis impenditur. Non procul à Dezize lapides eruuntur, quos inſtar carbonum comburunt Coloni.

loni. Duobus ab urbe conſpicua *Nivers* milliaribus locus diſtat ſaxis ad ædificia exſtruenda aptis refertus, quæ Aureliam uſque & alia celebria loca per flumen *Loire* dictum commodiſſimè transvehuntur. Ad dictam urbem Nivernenſem introambulate ſylvulam delicioſiſſimam mox ante portam *Lebarc du Monſieur de Nevers* dictam. Inſpicite etiam quatuor Pyramides è marmore elegantiſſimo fabrefactos erectosque nuper ad altare in Monaſterio *des Minimes* dicto ante urbem: Intra verò eam viſitate offici-

nas & elaboratoria Vitriariorum ingenioſiſſimorum: Caſtellumque ob palatium ſpacioſiſſimum dignum inibi viſu.

AGER de BERRI magna ex parte frugifer eſt, ac abundè fert omnia ea, quæ ad vitæ humanæ ſuſtentationem requiruntur: habens ligna, vineas, rura, fructus, carnes, lanas, fluviosque quamplurimos *le Cher*, *l'Indre*, *Creuſe*, *Azin*, *Celin*, *Moulon* & *Auron*, qui plerique ſe uniunt Ligeri, cujus fluenta res venales hincce aliò tranſportandi aptiſſima exiſtunt.

Tu-

TURONENSIS ambitus multas laudes meretur, ita ut Hortus Galliæ à multis dignè nuncupetur: eò quòd aëre benigno præditus, fructuſque ibi proveniant tantæ bonitatis, ut omnibus aliis præferantur, & ob hanc cauſam Lutetiam uſq; aſportentur. Frumenti & vini nulla inibi caritas, nec lignorum copia deficit, tùm ad venandum, tùm focum alendum. Reperiuntur quoque paſſim lapides albiſſimi, fiſſu faciles, ac ad ædes faciendas exoptatiſſimi.

ANDEGAVIENSE ſolum in-

æquale eſt multis in locis, una parte vinetis, vallibus, ex alia ſylvoſis paſturæque dicatis locis refertum. Vinum album profert optimum. Quadraginta habet fluvios, præter ſtagna, rivos, piſcinas quamplurimas. Ex hac vicinia ingens copia lapidis iſtius tegularis, quem *Ardoiſe* vocant, pullulat, ita ut in urbe *Angiers* multa ſint ædificia ex eo conſtructa, & pro omnibus ferè habitationibus contegendis ſufficienter adhibeatur, imò ſæpes & muri arvorum ex hoc lapidis genere conficiantur. Cæterùm Lino mirè abundat.

In

In NORMANDIA ſeu NORTMANNIA inprimis cis Rothomogũ plurimos elegantes campos fertiles videre licet: frumenta, carnes, lacticinia & fructus ſufficienti copiâ proſtant; verùm vino deſtituitur hæc Provincia; cujus loco communiter utuntur incolæ potu quodam, quem *Cidre*, hoc eſt, pomaceum appellant, per fermentationem è pomis ac pyris facto, ſaporis ſæpe tâm grati & efficacis, ut vini optimi locum ſupplere poſſit; quo potu inebriantur etiam, qui immodicè eum hauriunt, perin-

dè ac vino ; eliciturque ex eo per deſtillationem aqua ardentiſſima. Loca mari propiora, ob ſaburræ redundantiam ſteriliora exiſtunt.

BRETANIA culta admodùm eſt pratis ac ſylvis referta; Marique conjuncta, ex quo Incolæ Salem coquunt, quem in confines vicinias diſtribuunt. Argenti, ferri, plumbique fodinas alit; vinum quoque, verùm non copioſum, nec adeò delicatum: quamvis hæc provincia præ aliis hoc ſibi peculiare habeat, quod Indigenæ, præſertim fœmininus ſexus ingluviei valdè deditus ſit.

PERIGORT montuoſa, lapidoſa & aſpera terra eſt; frumenti tamen quantum victui Incolarum ſufficit proferens; vina verò levia & oligophora fundit. Aëre conſtat bono ac ſubtili, ita ut rarò peſtis ſimilesque morbi contagioſi ibi graſſentur. Reperiuntur quoque Thermæ inibi ſulphureæ & aluminoſæ. Abundat etiam hæc vicinia plurimis plantis medicinæ faciendæ utiliſſimis. Ad locum qui vulgò *Roche* appellatur, multa terra rubicunda eruitur, ejuſdem ferè coloris ac virium cum bolo armeno, cujus loco

eam ſubſtituunt pharmacopolæ quidam.

LIMOSINUS tractus frumenti dives non eſt, eò quod terra gracilis ſit admodumque arida: Verùm ſecali, hordeo, paniculis, càſtaneis & raphanis mirè abundat: Vinum minùs jucundum profert: fructus verò, carnes avium & ferarum vili conſtant precio. Inferior hujus Provinciæ pars fertilior eſt, cultior, vinoque meliore donata.

AVERGNIA ſeu ALVERNIA ſuperior & inferior in eo conveniunt, quod lignorum copia re-

refertæ ſint: ſed differunt, quod ſuperior quidem omni pecudum pabulo aliorumque brutorum cibo herbaceo ac ſecalibus abundet, vino tamen careat: Inferior autem frumenti, vini, pratorum, fontium ſalubrium, fluviorum, piſcinarum, croci & argentifodinarum ſufficientem habeat copiam. In origine fluminis *Allier* auri fodina elegantiſſima viſitur, ubi quoque lapis Lazuli reperitur. Non procul *Monte claro* (urbe ſic dicta) rivus eſt ponsque miraculoſus ex ſola aqua conſtructus, quæ in lapideam dureſcit

ſubſtantiam : Eſt res notatu digna aquam iſtam per modum ſuæ transformationis quocunque locorum præterlabatur, magnam lapidum copiam generare. Eadem in vicinia in media ferè planitie fons eſt, cui bitumen quoddam nigrum, glutinoſum & tenax innatat; quod Coloni ad varios uſus, potiſſimùm verò ad oves ſignandas colligunt, ut ſuo loco dicetur.

BURGUNDIA inæqualis eſt. Territorium namque *Dijonenſe* incolas ſuas vix ſufficienter nutrit. *Beauce* fertilitate huic

præ-

præſtat, & præcipuè laudatur ob vini optimi culturam.

LUGDUNENSIS ager in quibuſdam locis macilentus exiſtit, ob terræ nimiam levitatem; verùm jucundior viſu eſt plaga illa, quam *Franc Lyonnois* nominant, quæ juxta Ararim ſe pandit, ubi rurium bonitas, vinearum copia & pratorum viriditas arborumque frugiferarum numeroſa abundantia conſpicua eſt.

In DELPHINATU frumenti maximus proventus, Paſtura optima, & per conſequens lacticinia copioſiſſima: vinea-

rum

rum autem exiguus numerus viſitur montuoſis præſertim locis. Verùm, ſi fuſas ac patentes planities conſideres, loca fertiliſſima occurrunt, quæ vinis laudatis redundant, inter quæ præcipuas laudes merentur vina de *Vienne*, *Thein*, *Valence* & *Montelimar*. VALOIRE laudatur ob fœni abundantiam; tàm numeroſis ſiquidem pratis ſuaviſſimo rore rigatis undique conſtat, ut ſine ingenti voluptate ea contemplari nequeas. In tractu huic confinii *Brianconenſi* manna eſu jucunda colligitur.

GAL-

GALLIA PROVENTIALIS omnibus & ſingulis, quæ in fertilibus locis proveniunt abundat, ita ut omnes cæteras Provincias rerum cunctarum mira affluentia ac varietate ſuperet. Frumenti enim, fructuumque nobiliorum, utpote pomorum aurantiorum, citriorum, granatorum, olivarum, ficuum, & vinorum generoſorum ingens ibi copia deprehenditur. Loca inculta *Myrto, Roriſmarino, Kermeſio, Satureia, Thymo, Nardo*, aliisq; aromaticis fruticibus ad nauſeam uſque ornata. *Crocus* præ-

ſertim

ſertim ad S. Maximinum lætè
gliſcit: oleum olivarum, quod
hîc in magna quantitate elici-
tur, reliqua omnia Europæ olea
bonitate antecellit. Oriza hîc
paſſim notiſſima, ut & Milium:
quod primo Vere ſerunt, me-
tuntque tertio ferè menſe pòſt.
Nam ſolum pingue ac glebam
glutinoſam ac limoſam amat,
aëremque tepidiorem, qualis
inibi ſentitur. Pecorum admi-
randum numerum alit, unde
lacticiniorum, præſertim Ca-
ſeorum maxima abundantia.
Ligna verò majora perpauca
habet. Salifodinas quatuor hîc
com-

conſpeximus celebres *Berre*, *Teres*, *L'eſtang*, & *Valench*. Hyemis tempore hîc nulla ferè frigoris rigiditas ſentitur.

LANGUÆDOCIA & GASCONIA præſtantiores multò ſunt & maximè conſiderabiles. Si enim agrum Tholoſanum reſpicias, vix ullum alium ei præferendum cenſebis, ſive vini, ſive frumenti copiam & bonitatem, ſive cæteras laudatæ terræ conditiones contempleris. In Comitatu *Langares*, & juxta antiquiſſimam *Bliteram*, cuncta quæ liberaliſſima Natura ad delicias & neceſſitatem largiri

giri ſolet, videre ſunt. Inter cæteros frutices precioſos, de quibus ultima ſectione ſermo nobis erit, *Roriſmarinus* per univerſos tractus ſteriles copiosè laſcivit. Nobiliſſimus hîc frutex eſt, cujus mirandas virtutes nemo Autorum dignè ſatis adhuc expreſſit. Sæpiùs verò à nobis obſervatum & certiſſimum eſt, in quacunque ditione uberè creverit Roſmarinus, ibi omnia terræ naſcentia latè multiplicari. Mirum ergò nemini eſſe debet per totam hanc provinciam, in quâ tot Roriſmarineta & ſylvulæ hac gene-

generoſa planta refertæ conſpiciuntur, tanto proventu tamque felici ubere omnium nobiliorum fruticum ac ſtirpium, arborum, fructuumque inprimis varietates gliſcere.

NARBONENSIS GALLIÆ laudes & bonitates, quando in mentem mihi revoco, lingua obſtupeſcit, ſtantque labia ſine motu. Tempus enim vitæ meæ non ſufficeret ad genii ejus hiſtoriam dignè celebrandam. Tanta inibi agri ætherisque conſenſio, auræque tàm jucunda blandities, ut montes Meridianos tractus ab æſtu, conval-

les

les autem Septentrionales à fri-
gore vindicent. Breviter, Nar-
bonenſis Provincia agrorum
cultu; virorum morumque di-
gnatione, ac amplitudine o-
pum nulli provinciarum poſt-
ferenda, eſtque Italia veriùs, te-
ſte Plinio cap.4.lib.3.

Montes de Fois pleni ſunt
paſtura, mineris, aquisque ſul-
phureis. *Reſina*, *Terebinthina*,
pix, *thus*, *ſuber*, *marmor*, *Jaſpis*,
aliique lapides ibi colliguntur.
Lacus admirabiles, præcipitia
ſtupenda, valles fertiles, fon-
tes è ſummo montium ſcatu-
rientes, herboriſeta magna vo-

luptate

luptate hîc conſpiciuntur : Apri, Damæ, Cervi, Capræ, Rupi-Capræ *Iſars* ab incolis dictæ, aliæque feræ : nec non herbæ varii ac rarioris generis, ibi cernuntur, ita ut rerum talium cupidus quiſque abundè animi deſiderium explere ibidem queat.

COMINGENSIS tractus huic non diſſimilis eſt multis in locis : præcipuè în eo abundant frumentum, vinum, fœnum, oleum è nucibus, milium & aliæ res ad corporis alimoniam requiſitæ. BIGORRENSIS ager inferiori parte fertilis admo-

dùm;

dum; ſuperiori verò macilentus eſt, & inter cætera Milii magnam copiam ſuggerit.

BORDEGALENSIS terra fertiliſſima quoque & in circuitu fæcundo ſita eſt, multasque ob vini generoſi cultum laudes etiam apud exteras Provincias meretur. Panis de Potenſac ſapidiſſimus eſt. Carnibus piſcibusque abundat. Ut autem uno verbo dicam, felices nimium eſſent Galli qui terram hanc poſſident, ni unum eos moleſtaret, aër nempe marinus & vapores maligni ab aquis udoſisque locis elati, qui cir-

cui-

cuitum iſtum variis morbis & non raró peſti obnoxium reddunt.

BUCHENSIS ager pinis refertus eſt, ex quibus incolæ pauperiores reſinam copiosè colligentes ea inſtar candelarum utuntur, ita ut à fumo è reſina aut pice accenſâ parietibus adhærente diverſoria ipſorum tota nigreſcant. In territorio de DAIX fous ſalſus conſpicitur, è quo Sal copiosè conficitur; qui licet ſplendidus & adſpectu elegans ſit, corroſivus tamen eſt ac maxima parte Aluminis ac Nitri conſtans.

SECTIO
SECUNDA.

De Scholis & Academiis Galliæ celebrioribus.

PARISIA. Non Paris Rex olim Trojanus nomen huic Urbi impoſuit, ut aliqui fabulantur: ſed à Parrhaſienſibus Græcis, qui longo tempore ante Chriſti incarnationem eam fundarunt, appellata fuit. Quidam civitatem Julii appellant, non quod Julius Cæſar

ipſam

ipſam fundârit primitùs, ſed valdè amplificârit auxeritque. Hanc urbem caput Orbis facilè dixeris; in tantam enim molem jam accrevit indiesque accreſcit, ut rectius Provinciam dixeris, urbs capitalis Regni & ſedes Regum Galliæ hodiè meritò exiſtit. Dividitur in urbem antiquam *Lacitè* dictam; in recentem, *La ville*, & Univerſitatem. In antiqua quadraginta & ſex notabiles plateas; in Recenti ducentas & octaginta; in Univerſitate centum & ſeptuaginta numerabis. Difficilè foret per univerſam Europam

pam eligere ſituationem Pariſienſi feliciorem, propter omnium elementorum benignitatem, quæ huic loco præeſt. Aër enim pro-ut à diverſis anni temporibus alteratur, ſatis temperatus & ſalubris; quamvis ob cœni obvolutionem à tanta hominum frequentia excitatam in quibuſdam præcipuis plateis tempore præſertim æſtivo fœtidus reddatur. Mare non ita longè diſtat, quin bidui ſpacio recentes ex eo piſces ſuperfluè accipere poſſis. Terra quæ hanc Urbis granditiem cingit fertiliſſima eſt, ſalubriſq;

nu-

nutrituræ omne quod profert. Ita ſive extra ſive introſpicias, Reginam civitatum eſſe fatearis: Extra enim permultis urbeculis & incredibili numero pagorum, vicorum, ſuburbiũ, prædiorum, hortorum, fruticetorũ, ſtagnorum & ſimilium deliciarum circumcincta: Intra eam plerique Reges vitam tranſigêre: Ibi Camera eſt Regalis, in quam omnes reditus & divitiæ imperii coaſportantur. Ibi Parlamentum amplum & famoſum: Ibi Univerſitas ut antiquiſſima ſic celeberrima à Carolo Magno fundata: in qua

Theologiæ , Juris Canonicii (nam Jus civile ex edictione Baſilica in æternum iſtinc exulat, cui ſola ſtatuta & conſtitutiones Francicæ ſucceſſerunt) Medicinæ, aliarumque humaniorum ſcientiarum & Artium exercitia florent : Ex qua tot tamq; Magni Viri emanarunt, qui ſummo cum honore & cōmodo literas illuſtrarũt. Quinquaginta numerantur Collegia ſeu Gymnaſia ad omnis generis diſciplinæ Studioſos excipiendos. Olim Profeſſoribus omnibus conjugium fuit interdictum : Medicis verò poſt-

modum

modum uxorem ducere per, miſſum eſt, quam quoque licentiam Anno 1552 Juriſconſulti obtinuêre: Theologis ac Philoſophis adhuc cœlib. manentibus. Porrò Templa innumera ibi conſpicies, ex quibus dignum viſu eſt Fanum illud ingens *à noſtre Dame* appellatum. Aula Regia propè flumen eſt, â Rege Philippo Auguſto exſtructa, & ob artificii ſpecimen *L'ouvre* quaſi *L'oeuvre*, id eſt, *Opus* appellatur. Pontium mirificam ſtructuram ibi animadvertes, ex quibus elegantiſſimus eſt *Novus Pons*, ab

Henrico Tertio inchoatus, quē poſtea Henricus Quartus, cujus effigies ex aurichalco miraculosè extructa ingenti mole ac artificio in eodem Ponte viſitur, abſolvit & regiè ornavit.

AURELIA. Ab Aureliano Imperatore condita, à quo nomen, non ab auro inibi condito, ut Galli jactabundi ſomniāt, recepiſſe nobis videtur. Rex Philippus cognomento *Pulcher*, Academiam ibi fundavit Anno Domini 1312. quam poſtea Clemens Quintus Pontifex Romanus, qui hìc aliquando literiis operam dedit gratiosè confirmavit;

mavit ; unde maximis gaudet privilegiis. Ob ſtudium *Juris* quod Clariſſimi in ea Viri omni tempore magna cum laude, profeſſi ſunt, ſemper excellens fuit: hincque fit ut Germanorum Nobilium copioſus perpetuo numerus inibi conſpiciatur. Virginis cujuſdam, Joannæ, & Caroli ſeptimi effigiem in Ponte Ligerim tranſeunte, æri impreſſam conſpicietis : Notorium eſt dictam, Virginem hanc urbem ſplendidiſſimam miraculosè ab Anglorum impetu liberâſſe. Puritas linguæ Gallicæ hîc præ-

cipuè viget, qua de cauſa Alemanni, qui ſtudiorum & linguæ purioris Gallicæ addiſcendæ gratiâ hoc regnum adeunt, hunc præ cæteris locum eligunt.

BITURIGUM. Civitas antiqua ſanè, in medio ferè Regni Gallici ſita, ſat benè munita. Emporiiq; nomine digna præcipuè ob pannos, qui ibi conficiuntur. Olim admirabile Theatrum ibi poſitum fuiſſe, apparet ex rudimentis ejus, quæ hodiè adhuc emicant. Præcipuam verò laudem hæc civitas meretur ob Academiam

no-

nobilem, à *Ludovico Sancto* primò poſitam (licet multò antè à Duce quodam Bituricenſi fundatam à fide dignis perceperim) poſteà à *Ludovico Undecimo* inſtauratam; cui ſumma privilegia à Pontifice *Paulo Secundo* acceſsêre. Profeſſio autem *Juris* omni tempore ibi claruit, inque ea eximii fuerunt *Jacobus Cujacius* & *Andreas Alcatius*, aliique viri magnifici, *Loriotus*, *Eguinarius*, *Donellus*, *Ronſardus*, *Rebuffus*, *Mercerius*.

ANDEGAVIUM. Inter antiquas & Romanas urbes & hanc

reputandum eſſe, mònent tum *Amphitheatri* extra urbem reliquiæ, tum vetuſtæ quædam venerandæ antiquitatis inſcriptiones. Anno Domini 1389. Academiæ Andegavienſis initia locavit, liberalium artium propagandarum fervens ſtudium *Ludovicus Secundus* Princeps Andegavienſis: quæ hodie privilegiis Regalibus utitur largiſſimis: obque *Juris Civilis* profeſſionem celebris cenſetur, in qua egregium ſe præſtitit *Franc. Balduinus Atrebas* inſign. Jurisconſultus.

PICTAVIA. Urbs non adeò popu-

populoſa ut ampla. vulgò *Poi-ctirs.* Ex antiquitatibus Amphitheatri reliquas & Palatium Imperiale retinuit. Studium *Juris* florentiſſimum ibi eſt propter Academiam vetuſtam, quæ primum locum poſt Pariſienſem ſibi olim vendicabat: Jam verò ob exercitium *Juris civilis* à plurimis Germanis & Gallis colitur, fruiturque privilegiis maximis à *Papa Eugenio IV.* ei communicatis. In Medica Profeſſione multas laudes hactenus meritus eſt *Joannes Piduxius*, facultatis Medicæ ibidem Decanus & Profeſſor Regius.

BORDEGALA. Urbs opibu
& antiquarum rerum monu-
mentis perclara, obq́ue Parla-
mentum auguſtiſſimum cele-
bris: nec non ob inſignem Aca-
demiam digna viſu: utpote in
cujus Collegiis, vulgò *Les
grands eſtudes* dictis, omnes in-
genuæ artes ac ſcientiæ fideliter
edocentur: quæq; olim à Roma-
nis ſedulò culta, ex qua tot lau-
dati prodière Viri, ut *Altio Pate-
ra, Alcimo, Delphidius, Pontius
Paulinus*, aliiq́; ſũmi Oratores.
Hodie verò à Germanis minus
frequentata, ut opinor, ob Tho-
loſanam, quæ ſicut non long
al

ab hac diſtat, ita celebrior etiam ac famoſior. Ex hac oriundus *Dec. Auſonius* inſignis ille Poëta. Porrò Tutelæ palatium & palatium *Gallieni* tanquā miræ antiquitatis monumenta obſervatu ibi digniſſima ſunt. In arce *Trŏpette* notate antiquam inſcriptionem in Altari marmoreo, quæ ſic ſe habet: *Auguſto ſacrum & Genio civitatis.*

THOLOSA. Hanc non à *Tholoſo.* Trojano quodam, quales omnes ferè Galli ſe jactitant, ſed â *Tholo*, qui è genealogia *Japhet* erat, primò ædificatam, circa annum à creato Mundo

2716.

2716. veræ antiquitatis Scripto-res teſtantur. Urbes ſanè ut an-tiqua ita ingens & populoſa. Studiôſo peregrinatori duo ibi notanda erunt: *Parlamentum famoſiſſimum* à Rege Carolo inſtitutum: Deinde *Univerſitas*, quæ exordium ſumpſit paulò poſt Pariſienſem, inſtituta à Comite quodam Tholoſano *Reimundo* dicto, quæ poſtmo-dum à *Papa Innocentio VI.* ma-ximis privilegiis donata. U-triusque Juris Profeſſio excel-lens ibi eſt; hinc & incredibilis Studioſorum Juris ex omnibus nationib. concurſus, ita ut non

rarò

rarò aliquot eorum millia numerentur, hinc, quod mirum non eſt inter tot capita & ſenſus, perpetuæ inter ipſos rixæ, imò ſæpè cædes. Cavendum hîc à Studioſorum inquiſitoribus, qui advenas mirè vexant & multum pecuniæ ſæpè ab iis emulgent: & licet jure his nil debeatur, ex more tamen ac generoſa liberalitate quicquam elargiri conducibilius eſt, quã moroſitate tenacitate in diſcrimen quoddam ſe præcipitare.

LUGDUNUM. Jure merito inter pulcherrimas, ampliſſimas

mas & populoſiſſimas urbes numeratur hæc *Metropolis Galliæ Celticæ*, ducentos & viginti annos ante Lutetiam condita per *Munacium Plancum*, ut ex Plutarcho conſtat, quando dicit: in *Inſula Gallica Lugdunum* eſt celeberrima *Galliæ* urbs, quam à *Munacio Planco* conditam fuiſſe accepimus. Quin & antiquior longè videtur urbis hujus prima fundatio, Beroſo teſte, qui *Lugdunum à Lugdo Celtarum Rege*, qui diu ante natum Moyſen vixit. ipſamque urbem condidiſſe traditur, *dictum aſſerit:* quam quidem longo

go tempore pòſtfunditùs everſam *Lucius Munacius Plancus* nobilis Senator Romanus Galliarum Præfectus reſtauravit. Scholis olim græcis hæc abundabat, latinæque literæ hîc in flore erant. Celebris hìc fuit *L. Plotius Orator*, qui Suetonio teſte, Romæ primus Rhetoricam Latinam profeſſus eſt: quemque dicendi Magiſtrum inſignem vocat Quintil. lib. 2. & â quo Cicero ſe literas latinas unà cum fratre Quintio edoctum teſtatur lib. de Oratore. Jactat præterea hæc civitas *Claudium Cæſarem, Irenæum Ar-*

chiepi-

chiepiſcopum Baſsianum , Cara-callam filium Severi & alios. Maxima hîc inſtituebantur certamina declamatoria Oratoribus in templo quodam magnifico ea ante urbem parte , in qua amnes confluunt , ad Aram quandam in marmore honorificè exſtructam , ubi Oratores victi præmia victoribus conferre eorumque encomia canere, ſuaque ſcripta madente ſpongia vel lingua obliterare cogebantur , niſi virgis feriri aut flumini proximo immergi maluiſſent : Unde Juvenalis ejuſmodi Oratores victos ſalsè ridens, ait:

Pal-

Palleat, ut nudis preſſit, qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad Aram.

Ante mille circiter annos *Academia* florentiſſima hîc fuit, quæ Anno Chriſti 830. magno in precio habita. Succeſſu verò temporis deſiit; quamvis *Collegium*, in quo Philoſophia optimè edocetur, hodiè celeberrimum inibi conſpiciatur. Viſitatur autem hoc tempore ea urbs à variis Nationibus, tum ob ædificiorum, templorumq; mirandam ſtructuram, præcipuè verò ſituationem jucundiſſi-

diſſimam. Ex una enim parte viridi herbaceoque monte elegantiſſimis ædificiis exculto, ex altera parte ridenti planitie cõjunctam, duobusque amnibus celeberrimis rigatam, Arari quidem feraciſſima præterlabente, *Rhodano* verò celeberrimo in medio tranſeunte, utroque ingenti Ponte lapideo obducto, non ſine jucunditate videas. Repleta eſt hæc urbs cunctis artificiorum generibus, nec alia facilè reperietur Argentariis librariiſque tabernis refertior. Sæpè hìc nobis in delitiis fuit deambulatio & con-

verſ-

verſatio cum Viris doctiſſimis in Area ſpacioſiſſima *Belle court* civib. appellata, maximè tempore veſpertino, ubi viri ac adoleſcentes variis ludis corpora exercent. Foris plurimæ fodinæ auri, argenti, æris, plumbi ac marmoris inveniuntur: Intus verò antiquæ inſcriptiones quamplurimæ, ſepulchra, aquæ-ductus, ſtatuæ, colūnæ, urnæ & ſimilia Politices Studioſo notatu digniſſima. Secundo ab urbe lapide, in oppidulo *Sainct Gemi* dicto, Botanices Studioſi viridiaria maxis citreis & aureis, quin & aliis

rari-

raritatib. inſignia conſpicienti.
Cæterùm RHODANUS *à Rhoda*,
quam *Rhodii* Coloni olim lo-
cârunt, ut Hier. in comm. Ep.
ad Galath. notat, nomen acce-
pit, ortumque ſortitur ex Alpi-
bus non longè â Rheni Danu-
biique fontibus, iſthincque per
Lemanum Lacum Genevam uſ-
que defertur; hinc verò Lug-
dunum, ac ſubinde per elegan-
tiſſimam *Gallo* provinciam a-
mœniſſimas urbes *Viennam Al-
logobrum*, *Turnonem*, *Valentiam*,
Avenionem, *Taraſconem*, *Arela-
tamq;* abluendo, tandem in
Mare mediterraneum magno
cona-

conamine ac lato alveo ruit. In pleriſque autem tractibus tanti curſus eſt, ut vix adverſa poſſit navigari aquã. Paulò infra Lugdunum *Ararim* ſuſcipit, quę à monte *Vogeſo* per fines Heduorum & ſequanorum eò uſque prolabitur. Hinc Luc. lib. 6.

—Rhodanumq́; fluentem
—Præcipitavit Arar:

Quod autem Ariſtoteles libr. 1. meteor. cap. 13. *Rhodanum fluvium navibus tranſmeabilem* dicat, id non nudè accipiendum cenſeo. Inter enim Genevam & Lugdunum ita innavigabilis redditur, plenisq́ue fluctibus

ſaxoſos exeſosque amphractus tanto impetu permeat, ut ſicco pede multis in locis ſæpius trãs- ſaltaverimus. Hæc licet extra propoſitũ; quia tamẽ nemo ea debitè annotavit, ideò huc ap- ponere libuit. De cęteris Lugdu- ni encomiis ſic breviter habe:

Quod nolis alibi quæras; hîc quære quod optas;
Aut hîc aut nuſquã vincere vota potes.

Addo & hoc ex antiquitate de- ſumptum:

Oppida Lugdunum quondam permulta fuêre,
Per clivos, montes, prataq; contigua
Lector prima ſciat loca prima habitata fuiſſe,
Quæ optima erant vitæ, commoda quæq; lucro.

VALENTIA. Urbs ad Delphinatum hodie pertinens, aliàs *Valentina Allobrogū* vulgò *Valence*, cujus meminit Plinius lib.3 c.4. in tractu commodiſſimo ſalubri ac fertili ſita cis *Rhodanum*, una ex antiquiſſimis Romanor. Coloniis: quemadmodum tùm ex urbis ipſius antiqua facie, tùm ex plurimis antiquorum monumentorum reliquiis, utpote columnis, inſcriptionibus, templis aliisq; planè videre eſt. Studium *Juris* viget in *Univerſitate* quæ hîc eſt florentiſſima, in qua æternas laudes

 no-

nomenque ſibi paravit *Philippus Decius* ac *Jacobus Cujacius*. *Æſculapius* quoque *Fanum Medicum* ſibi exſtruxit celebre in quo tot *Doctores Medici* emergunt, in quorum numerum meo tempore receptus fuit *Gamaliel de Turre Bernas*, inſignis Philoſophus & Medicus, ac ob plurimas pergrinationes mihi familiariſſimus. Nil dicam de laude digniſſimis Viris, qui artem medicam hac in Schola ſcriptis ſuis illuſtrârunt; adſit inſtar omnium ſolus *Valleriola*, qui artis noſtræ divina myſteria tractando æternũ nomem

huic

huic Academiæ concinnavit. *Ludovicus Bonus* Amicus & Fautor meus intimus magna cum laude hodiè officium *Decani* ſuſtinet in facultate Medica.

AURANIUM, ſive *Uranium* vulgò *Orenge*. In Comitatu Venuxino poſita urbs deliciosiſſima, Principibus olim Uranienſibus, hodie verò Comitibus de Naſſau addicta. Olim propter regimen Carbinolenſium celebris fuit hæc civitas ac maxima teſtibus mœniorum veſtigiis, nunc autem mediocris, venerandæ tamen antiquitatis, multa adhuc ibi cernuntur ſi-

gnacula; ut eſt *Triumphus* ille quem *Cajus Marius* obtinuit lapideæ moli cis urbem miro artificio inciſus, tale quidem antiquitatis monumentum, quale nec in univerſa Gallia, nec Italia nec ipſa Roma videre contiget. Vos ergò Germanos, qui ex omnibus nationibus ſoli peregrinationis deſiderio optimè auditis, fideliter adhortor, ut inter reliquas antiquitates, quarum viſendarum causâ Galliam colitis, & hanc non negligatis: & pudeat quemque Galliam jactitare, qui *Auraniam* non viderit. Hîc namque

que videbitis, quibus olim antiquiores Germani armis, vexillis aliisque inſtrumentis bellicis inter pugnandum uſi fuerint. Ruinæ etiam Theatri olim admirandi non ſine delectatione conſpiciendæ; Matrem Ciceronis ex hac urbe oriundam, nonnulli perhibent. *Vacluſen* ſeu *vallem cluſæ*, cisfontem *Borgæ* non ita procul hac urbe videbitis, quam *Franciſcus Petrarcha* ad vitam ſolitariam elegit, hacque de cauſa parnaſſum ſuũ appellavit. *Academia* hic quidem antiquiſſima & olim à Studioſis plurimis frequentata:

Hodiè tamen, utpote quam So-
lus Rector cum Pedello ſine
magno Studioſorum concurſu
repræſentat, minus clara: pri-
mus ejus fundator fuit *Carolus*
Magnus. Ad viam publicam
conſpiciendus fons, in quo fœ-
minas ſteriles deſiderio partus
lavari ſolitas ajunt.

AVIGNION. Urbs ut ſpecioſa
ita ampla & opulenta, ad Rho-
danum poſita, *Sedes Papalis*,
quoniam in ea plures *Pontifices*,
qui plerique *Limoſenſes* erant
olim reſedêre. Qualis verò ſta-
tus olim hujus urbis fuerat, ex
Franciſci Petrarchæ Epiſtolis ſa-
tis

tis apparet, in quibus eam labyrintho & abominabili Babyloni æquiparare videtur. Ejus Amaſiæ virginis *Lauræ*, cujus laudes ingenioſiſſimis ſuis poëmatibus mirè depinxit, ſepulchrum videre eſt in cœnobio Franciſcanorum, ſeu apud nudipedes Monachos, Epitaphiumque cruce, roſa, duobus è Lauro ramis inſignitum. Sicut autem Romam ſepteno montium numero, ita hanc urbem ſeptem Palatiis, totidemque Parochiis, Xenodochiis, Conventibus, Portis & aliis rebus ſepteno numero non ſine my-

ſterio comprehenſis, dotatam obſervabis: Sic quoque præter ſeptena Collegia *Academiam*, habet optimè conſtitutam, quæ olim quidem, cum ibi ſedes eſſet Pontificum in precio erat: circa annum Chriſti 1316. nec tamen minus hodie colitur ab iis, qui Jurisprudentiæ ac Medicinæ operam impendunt: Romanæ tamen Relligioni ſe, addictos jurare coguntur omnes ii, qui *Doctorali Laurea*, ibidem ornari volunt. Hanc Scholam ante- hac illuſtravit Profeſſione & ſcriptis ſuis Doctiſſimus *Jacobus Fontanus*, inſignis

ſignis Medicus, jam primarius in Aquenſi Schola Profeſſor, aliique Viri clariſſimi, in Jure præſertim *Paulus de Caſtro, Andreas Alciatus*. In Collegii Juridici Cathedra elegantiſſima ſcriptum eſt: *Seſsio Æmilii Feretri*, & infrà, *Peritum arte Imperitum decore*. Jungitur hæc Urbs Urbi, quæ *Neapolis* vulgò *Ville neufve* vocatur, ponte ſupra Rhodanum ultimo & longiſſimo: qui tamen ruinam aliquot arcuum jam paſſus eſt.

NEMAUSIUM vulgò *Nimes*, veræ antiquitatis Romanæ ſpeculum, quod niſi diligenter

quis inſpexerit, immeritò Romam Galliamvè jactitabit. Ut enim rerum multarum viſu digniſſimarum mentionem brevitati ſtudens hîc omittam, contemplemini ſaltem *Amphitheatrum* illud portentum ſtupendumq́ue: obſtupeſco, ſtantq́ue comæ quoties ejus ineffabilem ſtructuram in mentem revoco; haudq́ue aliud toto orbe ei comparandum cenſeo, quodq́; procul dubio ad mundi uſque finem in antiquiſſimæ Romanæ magnificentiæ ſymbolum ea ipſa ſpecie, qua jam viſitur, duraturum non dubito.

Quam

Quam ampla olim hæc urbs fuerit, ex eo colligere licet, quod Romani Romæ eam ſimilem reddere annittentes ſeptem diſtinctos montes intra mœnia comprehẽderint, Rhodanumque, qui quatuor hodie milliaribus ab urbe diſtat Tiberis vicem ſupplere voluerint: Vigintique quatuor oppida Nemauſenſibus attributa fuiſſe, Plinius teſtatur libr. 3. cap. 4. *Antonium Pium* ex hac oriundum multi cenſent, ut & alios plures inſignes Romanos. Porrò dubium non eſt permultos olim viros ſapientiſſi-

mos hanc Urbem coluiſſe, u[illegible]
audivimus, inter cæteros *Domitium Afrum* inſignem Oratorem. Videte antiquam ſcripturam tabulæ marmoreæ cum *Pegaſo* inſculptam *procul eſte profani*: quæ ſanè indicio eſt ingenuarum ſcientiarum emporium hîc fuiſſe florentiſſimum, uſque dum *à Franciſco Primo Academia* ibi poſita fuerit: in quâ hodiè adhuc magna frequentia & laude liberales artes publicitùs edocentur, Magiſtrique in Philoſophia multi annuatim ibi procreantur. In hac Schola ante paucos annos

cla-

claruit excellens Philoſophus *Adamus Abrenetheus*, qui jam Monſpelii Academiam Philoſophi ..am magna lauda moderatur. Cæterùm extra urbem adſpicite Templũ *Dianæ*, quod quamvis jam bellorum ſævitia & annorum multitudine collapſum fermè, ruinæ tamen nos commonefaciunt quam potens & magnificum ſuo tempore extiterit ædificium.

AQUÆ SEXTIÆ. Urbs capitalis & ſedes Parlamenti Galliæ Provincialis. Antiqua ſanè, ut ex ſepulchris quibuſdam, columnis, inſcrîptionibus, aliiſque ve-

vetuſtis monumentis ſuſpicari licet; in agro fertiliſſimo aëreque ſalubri ſita. *Collegium Medicum*, inque eo *Theatrum Anatomicum* non ſine delectatione inſpeximus, in quo ſumma cum laude artem Medicam hodie profitetur Inſignis ille *Jater Jacobus Fontanus*, qui ſeſe operibus ſuis Medicis jam diu in lucem emiſſis Studioſæ Juventuti maximè commendabilẽ reddidit: quippe humaniſſimè nos in Maſſilienſi itinere tranſeuntes quatuor Germanos (erant enim mecum *Adamus Rubacus, Petrus Jani-*

chius

chius & *Joannes Pontanus*) excepit, eoque ipſo momento uxoris ſuæ, quæ triennio ferè intolerabili capitis dolore continuò affligebatur, cranium Trepano perforari curavît.

MONSPELIUM. Ecce *Languedociæ Metropolin*, tot venuſtis ædificiorum ſtructuris venerandam, tot recentiorum Palatiorum conditura ſuſcipiendam, florentiſſimo ſimul ac honeſtiſſimo rerum privatarum ac publicarum ſtatu, tot familiis nobiliſſimis reſplendentem. Agrorum fertilitas, fructuumque mira ubertas & va-

rietas

rietas præ cæteris Galliæ civitatibus huic palmam acquirit: Tot amœni undiquaque proſpectus, tot hortorum tàm intra quàm extra urbem decora: Contemplemini extra mœnia Hortum illum Medicum Regium, quem miraculum mundi & decus omnium hortorum meritò quiſque dixerit, in quo quicquid Italia, Gallia omnis ac tota Europa plantarum fert, id omne cum ingenti admiratione ſuis propriis locis diſtributum conſpicies. Quid præterea? Univerſus ille *Monſpelienſis* circuitus, nil niſi hortus amœniſſi-

niſſimus eſt. Tot enim paſſim loca delectantia, agri, vineæ, oliveta, rura, ſylvulæ, montes, colles, rivi, amnes, ſtagna, omniaque plantis & floribus aquaticis, pratenſibus, maritimis, montuoſis, nemoroſis, arvenſib. copiosè referta & luxuriantia! Roriſmarini, Lavendulæ, Lentiſci, Thymi, Stæchadis arabicæ, Ilicis cocciferæ, Olearum, Sabinæ & ſimilium fruticum generoſorum tantus ſpontè cis urbem proventus, iis præſertim tractibus quâ Narbonam itur, ut his uberrimè ad focum alendum utantur Colo-

nì. O ter felix Mons, qui quoniam amœnitate præfulges, omnium rerum ubertate præponderas, dignitate antecellis, meritò dicatus es omnibus bonis Muſis. Salve igitur ô amœna urbs, ſalve Apollinis ſedes, Phœbique domicilium, latè ſpargens nomen tuum. Te Gellus & Germanus, Britanniæ & Hiſpaniæ alumnus avidè inviſit. O quot mille protuliſti inſignes viros auxilia publicæ ſalutis. Tibi hoc ſoli proprium eſt omnes ingenuas ſcientias Theologiam, Juriſprudentiam, Medicinam ac Philoſophiam

in

in Scholis publicis abſolutiſſimè profiteri. Ex te Medici, Jureconſulti, Philoſophi & Philologi laudabile nomen ſibi comparare poſſunt non modò per Galliam, ſed per totum Terrarum Orbem. Hîc Themidem ſuas poſuiſſe ſedes quis auſit negare? ubi tot Inſignes Curiæ, tot Illuſtres Præſides, Patres conſcripti, tot Conſules, Juris ac Medicinæ Profeſſores! Narrant ex Geographis multi Medicinam olim ab Avicennæ & Averrhois diſcipulis huc fuiſſe translatam, & Mompelienſem civitatem ob Sarace-

norum

norum Medicorum ex Hiſpania fugam hæredem fuiſſe affirmant illius Medicinæ, quam in Cordubenſi Academia longâ ſeculorum ſerie Maurorum diligentia floruiſſe Hiſtoria Hiſpanica teſtatur. Internam hujus Academiæ familiam hodie conſtituunt *Cancellarius*, qui eſt velut *Rector & Judex*: *Decanus*, tanquam *Magiſter* Scholæ: *Profeſſores Regii & Doctores Ordinarii* velut *Procuratores* Univerſitates: *Doctores aggregati*: *Doctores extraordinarii*, *Licentiati*, *Conſiliarii Studioſorum*, & univerſa *Baccalaureorum* caterva:

terva: Deinde *Quæſtor, Secretarius* & *Pedellus*. Extra verò ſuos habet conſervatores *Epiſcopum Monſpelienſem* & *Gubernatorem*, quorum autoritate jura & ſtatuta Academiæ Regalia defenduntur & conſervantur. Hanc Scholam ſua Profeſſione illuſtrârunt inprimis *Gordonius*, *Guido de Cauliaco*, *Valeſcus de Taranta*, *Schironius*, *Fontanonus*. *Arnoldus de Villa nova*, *Rondeletius*, *Joubertus*, *Huſcherus*, *Andreas Laurentius*, multique alii: Taceo innumeram catervam eorum, qui in hac Academia educati & Laureati illius gloriam

riam longè lateque ſparſerunt, ut *Sylvius*, *Valleriola*, *Lobelius* aliique infiniti Germani, Angli, Hiſpani, Itali, Scoti. Bone DEUS, quot Pontificum *Proto-Medici*, quod Regum *Archiatri*, quod Principum & Heroum *Medici* ex hac Schola effluxerunt! Tantum. Plura de hujus Academiæ antiquitate, celebritate, adminiſtratione ac vita illuſtrium, qui in ea floruerunt Medicorum, quin & alia quædam ſcitu jucundiſſima, præſertim quibus ceremoniis *Lauream Doctoralem* inibi accipere quis debeat, proxima occaſione

pe-

peculari tractatu publicabimus. Vivat interim & meritò vivat *Monſpelienſis Academia*, atque de ea nobis idem dicere liceat, quod olim *Amianus* de Alexandria: *Sufficere Medico pro omni experimento ad commendandam artis autoritatem, ſi ſe in Monte Pelio dixerit eruditum.* Hinc benè cecinit *Claccius*;

Magna fuit quondam Romanum gloria civem
Dicier, in toto q Roma excelleret Orbe;
Non minus ergo decus, civem nunc eſſe Lycæi
Montiſpelliaci, quod tantùm excellit in Arte
Pæonia, quantum Roma olim excelluit armis.

ROTHOMAGUM. Nortmandiæ præcipua Urbs, ſplendidiſſimis ædificiis venuſta: ob multiplices negotiationes, nec non ob Parlamentum, quod ibi eſt, ſpectatu digniſſima. Academia quæ olim celebris ibi erat, in parvo precio hodie eſt: ſicut & CADOMENSIS in *Caen*, urbe inferioris Normandiæ antiquiſſima Anno 1431. inſtituta. Celebrior exiſtit CADURCENSIS in *Cahors*, urbe Aquitaniæ vetuſtiſſima, in qua *Juris* ac *Medicinæ* ſatis proba profeſſio. GRATIANOPOLITANA & CARPENTORAVENSIS, etſi olim in pre-

cio

cio erant, hodie tamen obſcuræ & deſertæ.

His alias duas Academias, etſi proprie ad regnum Gallicum non pertineant. addere poſſumus: GENEVENSEM in qua liberales artes maximâ ſedulitate hodie edocentur: & nobile *Gymnaſium* LAUSANIENSE ad Lacum Lemanum, in quo multi celebres Viri in erudienda Studioſa Juventute operam ſuam locâre, ut *Viretus*, *Curio*, *Beza*, *Bucanus* & alii, &c.

SECTIO TERTIA.

De Fluminibus, Fontibus & Aquis Gallicis.

HAud parùm nobilitatis Regioni cuilibet ex fluminum celebriorum ſuavi alluvione accedere poteſt; velut Italiæ ob Eridanum & Tiberim, Germaniæ ob Danubiũ & Rhenum: Sic *Gallia* quoque flu-

fluvios ſuos & amnes omnibus aliarum Regionum aquis anteponit. Ex his autem fluviis, ut celeberrimus ita rapidiſſimus æſtimatur *Rhodanus*, qui ex Alpib. (ut ſupra dum de Lugduno nobis ſermo erat, notavimus) originem ducens per *Lemanum Lacum* trans *Genevam Lugdunum* uſque vehitur: ibique *Ararim* ſuſcipiens juxta *Viennam*, *Valentiam*, *Pontem S. Spiritus*, *Avenionem*, *Taraſconem*, *Arelatumq;* præterlabendo in Mare Mediterraneum ſe præcipitat. Cis ripam ejus plures nobiles familias reperies, tresque po-

tiſſimum præclaras & antiquas ſ.
Una eſt *Comitum Valentinenſium*,
à quorum linea *Pictavienſes*
deſcendiſſe nonnulli affirmant.
Altera eſt *Turnonenſium*, quæ à
Turno Trojano originem habet.
Nam inſignia ipſorum Leonem
una parte in campo repentem
gerunt, qui arma Trojana de-
notat, altera verò liliorum
diſſeminationem, in ſignum
armorum Gallicorum. Tertia
familia eſt *Domus de Levis*, ex
quâ oriundi Domini *de la Voſte*,
à qua linea deſcendunt quoque
Domini *de Mirepois*, *Coſon*, &
Vautedor : & credunt plurimi
ho-

horum genus à tribu *Levi* primum duxiſſe ortum.

ARAR vernaculè *La Saona*, fluvius Galliæ eſt, è Diæceſi Tulenſi, Lotharingiæ ſcaturiens non procul à montibus *de Vauge*; Burgundiæq; Comitatum quaſi mediotenus curſu ſuo dividens: Poſtea *Auxonam*, *Chalonam*, & *Maſconem* abluendo paulò infra *Lugdunum à Rhodano* ſuſcipitur: ibique nomen ſuum deponit.

LIGERIS in montibus *Averniæ* ortum ducens, plurimas urbes *Nevers*, *Giens*, *Orleans*, *Blais*, *Ambroiſe*, *Angers* & *Nantes*

prætereundo in Oceanum deſcendit. Mirandus & jucundus ejus fluxus, ſiquidem optimas Galliæ urbes ſua alluvione delectat.

Ex eadem ſcaturigine fluvius DALIER oriundus: fluit autem per *Limagniam* verſus *Pontem Caſtelli*, præteritque cis *Molendinum*, poſteaque à *Ligeri* ſuſceptus nomine proprio privatur.

DORDONNA ex iiſdem *Averniæ* montibus proſilit, inque *Aquitaniam* uſque per *Limoſin*, & *Quercy* deſcendit: optimis quibuſvis piſcibus abundat,

præ-

præcipuè propè Prioratum *le port de Dieu* appellatum. Suſcipit præterea amnem *de Sere*, qui Arari ſimilis videtur, fertiliſſimumq; territorium transmeat, abundatq; *Salmonibus*.

ATAX vulgò *Aude*, Galliæ Narbonenſis Amnis celeberrimus, ex Pyreneis montibus oriundus, & alva lætiſſima ſecãs in mare fertur, Narbonamque perfluit: de quo Lucan. libr. I.

Mitis Atax gaudet latias non ferre carinas.

GARUMNA vulgò *Garonne*, nobiliſſimus fluvius, qui Galliam celticam ab Aquitanica

diſſecat, venitque è montibus Pyreneis non procul loco *Cadaulup* dicto, Tholoſamque adiens poſtea cis Burdegalam in Mare Aquitanicum ſe deponit.

Sunt verò & alii fluvii celebres, inter quos ditiſſimus cenſetur *Sequana*, cui ſuccedit *Somia*, *Jona*, *Alabis*, *Oſia*, *Elever*, *Druentia*, quin & aliis minus principales, qui tamen omnes navigantur, ut *Marna*, *Meuſe*, *Moſella*, *Liſera*, *Drat*, *Sombra*, & ſimiles: nec non plurimi alii amnes atque per virides herbas decurrentes rivi, ſed obſcuriores, de quibus moleſtum foret mul-

multa dicere. Sufficit hîc ſcire præter hos dictos & alios quoſdam eſſe, quos inter peregrinandum diligenter contemplati ſumus, de quibus tamen apud Autores nulla mentio reperitur, eò forſan quod à jam dictis fluviis abſorbeantur, ut ſunt *La Durance*, qui inter Avignionem & Carpentoratum fluens *à Rhodano* ſuſcipitur: *Alba* in Campania, *Clin* ad Pictaviam, *Sona* in Picardia, *La Veſerre*, *Charente* & alii. Appulſum præterea habet hæc Regio quadruplicis *Maris*, *Mediterranei*, *Aquitanici*, *Britannici*,

& *Germanici.* Nec- non *Lacubus* elegantiſſimis abundat, ex quibus præcipui ſunt, *Lauſanienſis* vel *Genevenſis* in quo Salares interdum ultra triginta libras capi conſpeximus: ſuccedunt *Tholoſanus*, *Ruſcinonenſis*, *Maßilienſis*, *Bordegalus*, *Aiguebellete*, *Echiæ* & ſimiles.

Quoniam nobis hîc de Aquis ſermo, haud inconveniens videtur utiliſſima quædam de THERMIS & *Aquis Medicatis*, quibus Clementiſſima DEI providentia hoc Regnum ditavit, adjicere, & talia quidem, quæ apud alios, qui de rebus Gal-

Gallicis libros edidére, vix reperientur.

In LUCO BELI, urbecula ſeu potius *Vico celebri*, ſex circiter milliaria *Monſpelio* diſſito, eò ſic appellato, quod Græci olim qui Maſſiliæ Conditores extiterant, idololatriam hoc in *Luco* exercentes *Deo ſuo Baali* ſacrificia offerebant, (incolæ vocant *Balerue*) *Thermæ* ſunt tàm ad potandum quam lavandum exoptatiſſimæ, tenuiſſimæ ſiquidem & hypochondria ſine pondere & gravitate citò pervadentes: Nos ſiquidem ad guſtandum modo ultra viginti

ſcyphos ſine ulla moleſtia hau-ſimus. Commendantur autem potiſſimum ad articulorum affectus inveteratos & frigidos ſimilesque morbos à craſſa difficulterque ſolubili pituita ob-ortos, à quibus multos harum thermarum uſu liberatos ſci-mus. Porrò ad *Lucum* hum *Nitrum* quoddam Solis ardore denſatum, lapidesq; velut cru-ſta obducens in ipſa Stagni Ma-rini ripa, quà fluit aqua calida colligitur.

Poſtmodum præcipuas lau-des merentur Aquæ iſtæ POU-GUENSES, à vico *Pougues* ſic di-

ctæ

ctæ, inter *Nevers* & *LaCharite*, Lugduno Pariſium proficiſcentibus obviæ, ad viſum claræ, ad tactum frigidæ, ad guſtum acres, acidulæ adſtringentesque. Mineralem præcipuam virtutem à Vitriolo hauſiſſe eas puto: cujus meæ opinionis fautorem habeo Clariſſimum Virum *Joannem Piduxium*, Medicum Pictavienſem Regium, qui dum has aquas inſpexeramus, multa præclarè de iis mecum ſermocinabatur.

Et rem ita ſe habere deprehendes, ubi Vitriolum aquâ miſcueris, tunc ſimilem huic

aquæ

aquæ potum efficies. Cum ve-
rò Mineras Vitrioli ſemper alli-
quid de ſulphure participare
notum ſit, ideoque partes alli-
quas, ſubtiliſſimas tamen ſul-
phuris aquas iſtas continere:
inde probare poſſumus, quod
vaporoſæ ſint & caput facilè
petant: Deinde quod cum lo-
cum & ſcrobem ſcaturiginis
hujuſce aquæ mundificare vi-
deremus, lapides qui in fundo
erant merum ſulphur redoluiſ-
ſe animadverterimus. Hæ igi-
tur Acidulæ ad purgationes per
ventrem, urinas, & ſudores, ad
curandos Hydropicos, fran-
gendos

gendos calculos; præterea ad ulcera, tumores, fiſtulasque percurandas per experientiam clariſſimorum Medicorum approbatiſſimæ ſunt.

Poſt has BOURBONENSES Aquæ celeberrimę æſtimantur, eò quod omnibus morbis, qui aquis medicatis ſanabiles ſunt, percurandis ſufficiant, ſive in potu, balneis, ſtuphis, ſive affuſionibus adhibeantur: Conſtant ſiquidem ſulphure, Nitro & Alumine. Sunt verò duplices iſtæ aquæ *Burbonenſes*, *Lancy*, & *Archambaut* vulgò dictæ. Illæ ſecuriores in morbis, ubi calor

calor & ſiccitas ſuſpecta eſt : hæ
verò potentiam calefaciendi &
ſiccandi majorem obtinent ;
hinc ad extremum ferè caloriis
gradum ferventiſſimæ : præci-
puè autem

Iſchiadem. Cancros, & Aquas quæ ſub
cute curant,
Et quodcunq; facit frigida cauſa ma-
lum.

A veneranda Antiquitate cele-
bratas fuiſſe has thermas con-
ſtat ex lapide vetuſtiſſimæ cu-
juſdam columnæ, cui hæc ver-
ba inſcripta erant: *Borboni Ther-*
marum Deo. Mammonæ Ca. La-
tinius Romanus in Gallia pro ſalu-
te.

te Codicillæ Uxoris ejus ex voto erexit.

AQVENSES THERMÆ, quemvis hodie parum calidæ minusque efficaces deprehendantur, obque hanc cauſam parvifiant; nec mirum jam, cùm Veſpaſiani Imperatoris tempore minùs quàm antea virtuoſas fuiſſe Solinus teſtetur: olim tamen à *Cajo Sextio* Conſule Romano in magno precio habitas fuiſſe ex eo præſumendum, quod propter dictarum thermarum copioſas ſcaturigines (quas hodie in multis antiquioribus ſpeluncis

&

& concavitatibus ſubterraneis ædium apud cives iſtius urbis videre licet) *urbem Aquenſem* condiderit, ac propterea deinceps *Aquas Sextias* cognominârit Adhibentur verò hæ thermæ ad paſſiones juncturarum potiſſimum: Stomachi præterea ac Uteri frigidis affectionibus, nec non malignis ulceribus medentur.

Proſtant autem in hoc Regno ſaluberrimo plures Aquæ Medicinales, quæ quia non adeò celebres nobisque non adeò uti jam dictæ innoteſcunt, maluimus eas ſilentio præterire, earum-

rumq́; loco has ſequentes, quas nos ipſi, ut jam dictas inſpeximus, à nemine annotatas, proponere.

In montibus *Averniæ* cis crucem *Morant* dictam, quatuor de *Cuilie* milliaribus ſub juriſdictione Vîce Comitis *Tureinenſis* ſitæ ſunt *Thermæ Abein* Incolis vocatæ: ad quas quamplurimi à morborum tyrannide vexati, inprimis verò arthetici, lepro ſi, ſcabio ſi & ſimiles acervatim convenire ſolent: præcipuè autem in membris viſceribuſq̀ue roborandis mira præſtant, unde mineram ipſarum ſimul

ſimul ferream eſſe ſuſpicor. Affirmabant autem incolæ jam à mille & pluribus annis per miraculoſum quoddam artificii genus, cum antea naturâ tales non eſſent, ita fabrefactas & extructas eſſe.

Obviæ nobis factæ ſunt & aliæ thermæ in Averniæ ea parte & via regia, qua Lugduno Tholoſam itur, ubi multa balnea calida inſpeximus in loco, qui hac de cauſa *Chaudaigues*, hoc eſt, *calida Aqua* appellatur. Uſus verò talium eſt ad morbos frigidos præcipuè mulierum, quarum matrix intem-

peri-

perie frigîda laborat: Nervorum quoque affectibus frigidis opitulantur.

In *Lotharingiæ* montanis, duobus ab Abbatu *de Remiremont* milliaribus Balnea ſunt, quæ quamvis *Plumbiers* quaſi *plumbea* ob copioſam plumbi admiſtionem appellentur, nihilominus de ſulphure & alumine aliquid participare videntur: Ad hæc Arthetici, Podagrici & ſimiles infirmi ſanitatem quærunt, ex quibus non pauci commodum ſentiunt, ut per experientiam notum eſt.

Cæterum *Aquæ de Seine* Avignio-

gnionenſibus laudatæ hodii ſunt; Celebratur etiam *Avernus de la Champagne*.

Thermarum enarrationi non incommodè paucula hæc quæ de quibuſdam FONTIBUS memoriâ dignis obſervavimus annectemus; ne talium rerum annotatione Studioſo peregrinatori defuiſſe videamur.

In *Averniæ* montuoſis inter *Loys* & *Caſtellum de la Cuilie* du loca ſic incolis vocata, fontem vidimus, quem inibi *vinoſum* appellant, eò quod ejus aqua di ſapore vini multum participet. Sufficitque ad ſapidum vinum

eff

efficiendum ſextam partem, meri eidem admiſcere. Utinam ejuſmodi fontes in populoſis civitatibus proſtarent: Verùm DEUS pro ſua incomprehenſibili voluntate ſua bona variè diſtribuit.

Non procul à *Claro-Monte*, jam dictæ Averniæ fons eſt oleaginoſus, in quo gummi-reſinæ quoddam genus reperies, bitumen à Rondeletio, ab aliis Aſphaltum, à nobis *Petroleum nigrum* appellatum, ſiquidem è petroſis rimulis multum exſtillare vidimus; ad confortandum nervoſum genus exopta-

tum remedium: Incolæ eodem arbuſculas illiniunt, ne capræ, quibus adverſum eſt, eas humi proſternant: Oves quoque ho bitumine ſignant.

Alium fontem & aquam non procul à dicta urbe *Clair-mont*, non ſine admiratione inſpeximus, quæ ſua natura in gentem lapidum glaciali for ma conſpicuorum copiam progenerat: utpote quæ ſpont pontem miraculoſum extru xit, ſupra quem ſæpè ambula vimus ad molendinum, quo ibi eſt, proximum. Huic fon non abſimilem videbis in De

phina

phinatu in pago de *Reſsilon*, cujus aquam in lapideam duriciẽ concretam ab incolis *Aquam congelatam* dictam non ſine admiratione collectam plurimis amicis poſtea diſtribuimus.

Cis *Columbiers* , duobus à Turonenſi urbe milliarib. diſſito loco, cavernas quaſdam vidimus, in quibus etiam media æſtate Aqua ibi ſcaturiens glaciali duricie concreſcit.

Vix ſine ſuperſtitione quis adſpiciet fontem alium in *Diœceſi de Clermont*, in loco qui *Manſas* dicitur, qui in vigilia S. Petri innumeris ſcatet ſordibus:

Ipſo autem *die Divi Petri* inſtar Criſtalli pellucidam puramque per ſe videbis aquam.

In vico *Hiuret* non ita procul *Vienna Allobrogum*, fons eſt, aliàs quidem potu ſalubris, verùm quæcunq; in ejus alveum projeceris, lapidea duritie ſoliſdeſcunt. Res mira eſt, quod ruſticorum illam aquam bibere ſolitorum viſcera ſimiliter non obrigeſcant.

SECT. IV.

SECTIO
QVARTA.

De Urbibus quibuſdam inferioris antiquioriſq; Galliæ: Rebuſq; in iis memorabilibus.

ILlis qui pleniore cultu, diligentiq́ue perſcrutatione *Galliam* adire cupiunt, conſulerem ut primo aditu GENEVAM peterent, ibiq́ue Gallicæ linguæ

fundamenta ponerent. Eſt n. *Geneva* urbs ut antiqua, ita ob ſitus amœnitatem, Lacus Lemanenſis Rhodaniq́ue alluvionem digna viſu. Fanum quod inibi eſt Cathedrale ac vetuſtiſſimum, olim Appollini extructum hodie Divo Petro ſacrum. Cernite in Collegio antiquæ ſcripturæ auguſtum hoc monumentum: *Sexto Attio Carpophoro III. Vir. Auc. Eria Custo.* quin & alia quædam in ſummo Templo ac alibi, quæ Studioſo Politices ſectanda relinquimus. Noſocomion ad peſtem extra novam portam, quæ Meridiem

ad-

adſpicit, viſitavit ſedulus Medicinæ Studioſus. Beza in dogmate Calviniano ſtabiliendo fervidum ibidem ſe præbuit, multisque celebres Theologos, qui in reformatis (ut vulgò vocãt) provinciis relligionem iſtã profitentur, progenuit Qui deinceps hinc *Lugdunum* proficiſci deſiderant, non ſine admiratione *Rhodani* furibundum, per ſaxa impetum, ſonorasque ejus ac tumentes ſpumas conſpicient, locaque quædam antiquiſſima tranſeunda ſe offerent.

1. *Colonia Allogrobum*, vulgò

Colonge, Sabaudiæ oppidulum.

2. Propugnaculum inviolabile ſaxis præruptiſque cautibus inſtructum, Gallis *L'eſcluſe*, quod *Clauſam* vel *Clauſtrum* ſonat, nuncupatum.

3. Mons quidam altiſſimus ac conſpicuus *Le mont credo* appellatus.

4. *Nantua* oppidum, in quo cives maxima ex parte aciculas conficiunt.

5. *Barma* urbecula.

6. *Sardon* viculus.

7. *S. Jean letran*, oppidum, antiquarũ ædium ruinis refertum ac bellis olim devaſtatum.

Hinc

Hinc per *Cormun*, *Verbona*, & *Montloar* rectà *Lugdunum* tranſito.

De Lugduni autem memorabilibus cùm ſuprà nobis ſermo fuerit, hinc *Viennam Allobrogum* rectà profecti ſumus, quæ quinque milliaribus Lugduno inferior, inclyta & venuſta urbs: (antea *Bienna* dicebatur, eò quod à *Venerio Africano biennio* perfecta fuerit tempore *Aventini Sylvii*, ſeu ut ab aliis audieram, tempore Regis *Lycurgi*) Una ex antiquiſſimis Romanorum Coloniis, in qua *Pontius Pilatus* (Judeæ Procu-

rator à Romanis conſtitutus teſte Joſepho hinc oriundus) ex deſperatione mortuus perhibetur: viſitur adhuc înibi turris rotunda, ubi ej9 habitatio fuiſſe dicitur, quin & extra urbem Pyramis conſpicitur, ubi ejuſdem *Pilati* tribunal fuiſſe ajunt, tùm temporis in urbe ſitum. Antiquitatis porrò judicium ex vetuſtis tàm intra quàm extra urbem ruinis paſſim hîc videre eſt.

Gratianopolis & Romanenſium urbs quindecim à Lugduno milliaribus diſtant, ambę amœniſſimæ Reſpublicæ. Hanc quidem

dem ſitus proportione Urbi Hieruſalem ſimillimam eſſe ex iis audio, qui è terra ſancta nuper redierunt. Illi verò *Gratianus* Imperator nomen impoſuit, antea *Acuſion* appellatæ. Tria hîc præclara conſpicienda ſe offerunt: Primò *Curia Præſidialis* ſive *Parlamentum Galliæ* elegantiſſimum: Deinde *Fons Ardens*, non ita procul ab urbe, ignea flamma ſua omnia injecta conſumens: Res ut ſtupenda viſu, ita digna diligenti perſcrutatione & intelligentia. Deque hoc ipſo fonte D. Auguſtinum lib. de civit. Dei, locutum

arbitror, quando lib. 21. cap. 7.
dicit in Epiro fontem eſſe, cui
ſi candelam ardentem immiſe-
ris, extinguetur, ſi extinctam
adhibueris, ardebit: Addit ve-
rò ſe iſtum fontem non vidiſſe,
nec cum aliis, qui hunc fontem
adſpexiſſe, ſed iis qui ſimilem
in Gallia ſe vidiſſe affirmare au-
ſi fuerint, locutum fuiſſe. Si
quis verò naturam & originem
hujus fontis ſcire deſideret, le-
gat doctiſſima ſcripta Medico-
rum *Hieronymi Montous* & *Pe-
tri Areodi*, Denique non pœni-
tebit quemque inſpicere *Mona-
ſterium* celeberrimum *Carthu-*

ſiano-

ſianorum à *Brunone* Colonienſi, diviti & nobili familia oriũdo, Canonico in Eccleſia Cathedrali Remẽſi in Campagnia, Theologiæ & Juris Doctore fundatum, in loco deſertiſſimo per decem circiter milliaria ab urbe diſſito, hodiè *la Chartreuſe* appellato, frigido rigidoque, velut inter duos altiſſimos præruptosq; nec non ſteriles montes poſito, arboribus cirroſis & infrugiferis plurimisque feris noxiis referto ab Hugone quodam Gratianopolitenſi Epiſcopo donato: Cujus quidem loci donatio poſtmodum per Hu-

gonem Epiſcopum Lugdunen-
ſem, nec non per Urbanum
ſecundum confirmata fuit. Ap-
pellari autē ſolent hi Monachi
Carthuſiani à loco in quem tan-
dem ſeceſſit *Bruno*, poſtquam
Romam à Papa Urbano, qui
ejus fuerat diſcipulus, ob cer-
tas quaſdam cauſas mitteretur,
ibique munus ſuum perfeciſ-
ſet: Poſtmodum enim Romā
Calabriam profectus in deſer-
tum *La Tour de Squilace* appel-
latum, venit, ubi cum ſociis,
quos tunc ſibi Comites haberet
in certis quibuſdam caverniis
ſubterraneis habitationem fe-
cit:

cit: Ibique Eccleſiam ædificans Anno 1101. vitam finiit: Cujus Epitaphium, quod ſibi ipſi ante obitum inſcripſiſſe fertur, hîc quoque adſcribere licet, quod ſic ſe habet:

Mortales Dominus cũctos in luce creavit,
Æterni ut caperent gaudia ſumma poli.
Felix ille quidem qui mentẽ jugiter illuc
Dirigit, atq; vigil noxia quæq; cavet.
Nec tamen infelix ſceleris quem pœnitet acti,
Quiq; ſuum facinus plangere ſæpè ſolet.
Sed vivunt homines tanquam mors nulla ſequatur
Et velut infernus fabula vana foret:

Cùm

Cùm doceat ſenſus viventes morte reſolvi,
Atq; Erebi pœnas pagina ſacra probet:
Quas qui non metuit infelix prorſus & amens
Vivit, & extinctus ſentiet ille rogum.
Sic igitur cuncti mortales vivere certent,
Ut pœna inferni ſit metuenda nihil.

Peregrinationis ordine (deſcenſum *Rhodani* ſectantibus) ab urbe Vienenſi ad oppidulum *Sainct Valoir* dictum, ſub Delphinatum inferiorem pertinens, & inde per decem milliaria prædium quoddam Urbanum vulgò *la maiſon de Pilate* tranſeundum. Dicitur olim domus fuiſſe *Pilati*, nec deſunt ejuſdem familiæ generoſæ pro-

pagi-

pagines, quæ hodie *Domini de Pila* ſalutantur. Adſpiciant deinceps Peregrinatores ſaxum illud planum ac rotundum, in medio Rhodani eminens, quòd *Henricus III.* Gallorum Rex animi paſcendi gratiâ in eo prandium aliquando ſumpſerit, ideò *la table du Roy* nuncupatum. Ubi porrò *Turnonem*, urbem Delphinatus ad Rhodanum attigeris, conſpiciendum tibi erit *Collegium Jeſuitarum* celebre, quin & Arx munitiſſima, verę antiquitatis ſpecimen. È regione hujus conſpice *Thin*, oppidulum, quod aliis qui ter-

râ

râ in Provinciam iterfaciunt, transeundum.

Sequuntur jam ſpectandæ: *Valentinenſium Urbs*, *Auranienſis*, *Avenionenſisq;*: Verùm quia de his & aliis ſuprà, cum de Academiis loqueremur ſermo erat, *Avenione* per Rhodani hilarem deſcenſum tribus milliaribus ad urbem antiquam *Beaucaire* tranſivimus: Quæ ut vetuſta ita ob Nundinas, quæ quotannis die 22. Julii ibi celebrantur, præſertim ipſo Nundinarum tempore digniſſima viſu ob mercium omnis generis

ris Hiſpanicarum & Maſſilienſium ſtupendam advectionem: nec puto ſimiles nundinas Europam habere, ut teſtis erit *Jo. Jacobus à Brun* Baſilienſis Medicus, qui mecum his nundinis per octiduum interfuit. E regione hujus videbitis *Taraſconem* ad confluentiam *Druenti* cum Rhodano poſitam, urbem ab antiquitate conditam, hodiè Epiſcopalem, quæ nundinas quoque ſuas quotannis celebrat die 29. Julii, ſed minus celebres.

Qui ulteriori progreſſu *Galloprovinciam* inſpicere cupiunt, hinc

hinc navi Arelatum ſeu *Arelatam* deſcendent, urbem ob aëris victusq; rationem ſaluberrimam, olimque ob Romanorum cultum celeberrimam, quam ideò *Auſonius Romam Gallulam*, quod Romæ eam comparare voluerit appellavit. Ex antiquis autem monumentis reſtat unicum Theatrum, quamvis ruinoſum & vetuſtate jam quaſi abrogatum. Ad templum S. Honorati ante urbem innumera ſepulchra antiqua conſpicies, nec non locum quem *Arelatenſes La Rocquette* vocant, in quo olim Ethnici Divæ ſuæ

Dia-

Dianæ duos quotannis juvenes ſacrificantes eorum ſanguine adſtantem populum conſpergebant.

Hanc inter urbem & *Salonẽ de Crau* admirandã videbis planitiem, qualẽ quidẽ per universã Galliam, licet elegantiſſimis planitiebus *Gallocampania* ſcateat, nullibi deprehendes: Præſertim via illa recta filoq́; geographico menſurata, quæ ex hoſpitio *S. Martini Selonem* uſq; tendit, ubi directa linea urbem tribus milliaribus magnis tibi antepoſitam conſpicies. Hanc puram-putam planitiem, nulla

ac

ac ne minimo quidem collicu-lo onuſtam, quamvis quoſdam montes circumvicinos adſpi-ciat, nuper quidam in ſuis deli-ciis Gallicis inter præcipuos Galliæ montes annumeravit: miror ergo Autoris iſtius teme-ritatem, quod planitiem hanc elegantiſſimam montem ap-pellare auſus fuerit. Caveant ergò ſibi peregrinatores ab e-juſmodi ducibus, qui plurima à ſe non viſa, ſed ab aliis inter-dum falsè percepta in ſua itine-raria conſcribunt. A Selone dicta per elegantiſſima Roriſ-marini fruticeta *Aquas Sextias*

recta

recto pede ſex horarum ſpacio adire poteris, cujus urbis cum ſuprà mentionem fecerimus, MASSILEAM adjacentem, Emporium omnis mercaturæ florentiſſimum accedamus, ejusque antiquitatem celebremus.

Conſtat imperante Macedonibus Aſtyage, Hebræis verò Sedechia hanc urbem fuiſſe conditam, annis antequam Virgo pareret. 613. Diruta deinceps, à Phocenſibus inſtaurata eſt, qui Cyri tyrannidem fugientes deſtitutâ Græciâ in hunc ſinum navigârunt. Olim Maſſiliæ ſtudia ingenuarum do-

doctrinarum adeò floruerunt, ut Romani pro Attica peregrinatione Maſſilioticum peterent Gymnaſium ad diſciplinas capeſſendas, ut ex Corn. Tacito annotavimus. Ex Varrone notum, græcam, latinam, gallicamque linguam olim hîc viguiſſe. De moribus Maſſilienſium, prudentique Reipublicæ adminiſtratione plurima dicenda haberē, ni ſcirem omnes ipſorum virtutes jam à clariſſimis Scriptoribus enumeratas eſſe. Cicero in Orat. pro Lucio Flac. Maſſileam morum probitate doctrinarumq; ſcientia

tia toti Græciæ omnibusq; aliis gentibus anteponendam cenſet, faciliusque eſſe, ait, inſtituta ejus laudare quam æmulari. Hinc Plautus in Caſina Maſſilienſes mores tanquam optimos & probatiſſimos, dixit: Ubi tu es. qui colere mores Maſſilienſes poſtulas. Strabo narrat, Maſſilienſium modeſtiam tantam olim fuiſſe, ut dos centum, toga quinque, nuptiæque totidemque coronatos gallicos non excederent. Cæterum nõ iniquè idem Strabo lib. 3. per excellentiam hanc urbem *Emporium* appellâſſe,

videtur, dum inquit *Emporium oppidum à Maſſilienſibus conditū.* Maris namque *Mediterranei* af-fluxum adeoq; *Oſtium* pulcher-rimum ac delectabile obtinet, ubi omnibus ferè momentis naves ex variis Mundi partibus hominibus peregrinis merci-busque novis onuſtas appellere videbis, ubi profectò illi, qui rerum novarum cupidi ſunt a-nimum paſcere poterunt. Eſt autem hoc oſtium appulſioni navium ex omnibus mundi o-ſtiis tutiſſimum, muro forti in ovali forma concinctum. In-ſuper Vini optimi fructuumq;

gene-

generoſorum ferax eſt hic circuitus, hinc Martialis ſic ludit; *Tu me Maßileæ ponere vina putes?* Laudantur & præ cæteris *Ficus Maßilienſes.*

Loca non minus celebria Maſſiliæ vicina ſunt *Taurunium, Forum Julii, Antipolis*, tres urbes ut antiquæ, ita ob otiorum Marisque appulſum viſu jucundæ. Eſtque *Antipolis* clauſula urbium Gallicarum; quoniam *Varus* fluvius (*Nizam* ab hac ſeparans) Italiã à Galliæ regno dividit. Adjacent præterea Maſſiliotico tractui Inſulæ duæ celeberrimæ. OLBIÆ

& STECHADES appellatæ, de
quibus poſtea ſuo loco.

Habes jam, candide Lecto
inferioris antiquiorisque *Galli*
antiquiſſimarum urbium, re
rumque in iis memorabilium
brevem commemorationem:
quam ideò publicamus, quod
plerisque in Galliam profic
ſcentibus hæ res ignotæ, &
plurimis ob ignorantiam ne
glectæ: Ignoti ſiguidem nulla
cupido: Satius foret aliquid
temporis in talibus inſpicien
dis impendere, quàm in fron
tiſpicio Galliæ ſuperioris per
pluresannos ſine fructu hær

1

re. Plurimi verò ſunt, qui Galliam hodie jactitant, qui tamen vix partem ejus perluſtrarunt, ſed forſan in unico *Lutetiæ* luco contemplando pecunias ſuas inutiliter impendère.

Jam verò ut laborioſum; ſic etiam ſuperfluum foret ad reliquas Galliæ urbes ſingulatim deſcendere; nec propòſiti noſtri ratio id exigit. Proſtant inſuper plurimi libelli, in quibus totius Regni generalem & particularem hiſtoriam procul dubio abundè delineatam deprehendetis. Sufficit ergò nos ea hîc aſſignâſſe, quæ aliis

deſiderantur, aut ſi forſan jam quædam annotata ſint, clariùs ea explicâſſe. Quæ enim à nobis hîc recenſentur, non ex aliis transſcripſimus ut plurimi in more habent, ſed oculari inſpectione propriis in locis ſingula annotavimus.

SECTIO
QVINTA.

De Plantis rarioribus, quæ per totam Galliam, præcipuè in Gallia Narbonenſi, Proventiali & Languedocia ſpontè virent: Vbi earum loci natales, ſimulq; aliæ res ſcitu digniſſimæ proponuntur.

POſtquam præcipuos *Galliæ* tractus, inprimis verò *Narbonam* tum mediterraneam & montanam, tùm Maritimam variis herboriſationibus ruſticationibusque luſtraſſemus omne ferè plantarum genus huic Regno florentiſſimo familiare eſſe obſervavimus. Quapropter in Studioſorum Medicinæ gratiam *Catalogum Plantarum*, quas non ſine multo labore hinc inde collegimus, apponemus, cujus adminiculo rariores herbas citiſſimè locis ſuis inter peregrinandum reperient. Sufficiet verò Studioſo pe-

peregrinatori aliqualem Rei Herbariæ priùs habere cognitionem, hoc eſt, noviſſe ſolummodo vulgatiſſimas herbas, quas nos ut communiſſimas & paſſim obvias hic non aſſignatas damus. Quod ſi natalem locum ubi quælibet herba germinat, herbæque uſitatum nomen tibi inculcemus, poſſibile eſt, te brevi tempore univerſam plantarum hiſtoriam hac noſtra manuductione oculari inſpectione comprehenſurum. Rem igitur propoſitã diſtinctè ut perſtringamus, methodum talem obſervabimus, ut ſecun-

dùm præcipuas Provincias, E-lyſiaque totius Galliæ vireta: quæ nos luſtravimus, herbarũ rariorum ordinẽ deſcribamus, quantumq; ipſi inter herbori-ſandum rerum aliarum notatu dignarum inſpectione aſſecuti fuimus, Candidis amicis lubenter impertiamur.

Plantarum, quæ in Lutetiæ, Aureliæ, Nortmanniæ, Genevæ ac Lugduni agris obvia, aßignatio.

PARISIENSIS ager omnium ferè herbarum vulgatarũ ferax eſt: Ex rarioribus autem nutrit *Hyacinthũ autumnalem*. In agro

Bor.

Borbonio quà ducit regia via Lutetiam *Ornithogalon luteum* collegimus. Circa Lutetiam & Aureliam *Oxalis* quædam ſativa rotundifolia repens videtur, obque frequentiam *Franca* dicitur, ad intinctus ciborum ſuave condimentum.

In AURELIÆ ſylvoſis denſiſſimis vidimꝰ *conſolidam auream nemorum Limonii folio. Tithymalus Cypariſſias* & *Characias* hîc frequens, ille juxta flumen Ligerim, hîc verò vicinis ſylvoſis & fluvioſis ripis.

In NORTMANNIÆ herbaceis frequens eſt *Oxalis tenuifolia*,

Garyophillata rotundifolia papposo flore, Valeriana ſylveſtris, Narciſſus herbaceus Plinii. Ad Druidum oppidum, quo loci relligionis cauſa funeſtum prælium commiſſum fuit, multa *Anthemis Romana* viſitur. Porrò paſſim ſecus agrorum amniumque ripas frequens oritur *Bunias* ſylveſtris napus. In riguis depreſſisque Pratorum convallibus *Cotyledon acre aquaticum, primulæ pratenſis duæ ſpecies, pallida inodora & lutea odora, Gramen parnaſſi*, Ranunculus herbidus muſcoſo flore. In ſylvoſis opacisque *Terræ glans*.

In-

In humentibus & parietinis ſubſtilliis *ſaxifraga aurea.* Humentes foſſarum crepidines ſcatent *Betonica aquatica, Numularia.* In littoribus maritimis abundè *Soldanella Corallinæq́;* varietates proveniunt.

GENEVÆ in Campeſtribus *Conſolida Regia, Hiacynthus ſtellatus & Anglicus.* Circa arvorum quorundam ſæpes & margines *Fumaria radice fabacea.* In vicinis montibus *Myrrhis altera Lobelii.* In rupibus circa *Juram Daucus creticus.* In ejuſdem montis *Juræ* arduis pratoſis & finitimorum *Genevæ* mon-

tium jugis reperitur *Eryngium alpinum cæruleũ* mirę elegantiæ.

LUGDUNENSIS GALLIÆ montoſis & opacis ſylvis frequens provenit *Iſchæmon Plinii*, *Gramen ſulcatum*, *Holoſtium verum*, *Aſter hirſutus*, *Chamærhododendrum montanum Allobrogum*, *Chamelea alpina incana* pręcipuè in vicinis Alpib. Allobrogenſibus. *Syderitis*, *ſalix repens*, *ſyderitis Achillea*, *Heliotropium ſcorpioides*, *Anagallis lutea* propè Lugdunum, nec non *Oxytriphyllon alterum Scribonii*. Ad pomœria Lugdunenſia ponè & propè ſuburbium tranns Rhodanum

danum (vulgò *aiguilleterie*) in campis *Ornithogolon luteum*. Biſtortæ peculiaris ſpecies à *Geſnero* deſcripta magna copia ad mœnia & intra pomœria peninſulæ herbidis amænæ, quam alluunt & diſterminant duo nobiliſſima flumina Rhodanus ab Oriente, Arar ab Occidente; glareoſis, aſperis montoſis & planis locis fruticat *Poliũ* quoddam parvum maritimo in paucis diſſimile. In Allobrogum finibus, præcipuè montibus *Pilati Cacalia* ingenti copia reperitur. In eorundem montium convallibus *Nardus ruſtica* germinat.

GAL-

GALLO-PRO-VINCIA.

UNiverſa hæc Provincia plantis floribusque aquaticis, pratenſibus, maritimis, montanis, nemoroſis & arvenſibus tàm copiosè referta eſt & luxuriat, ut liberè dixerim, quicquid Natura plantarum per univerſum orbem hinc inde locis ſuis diſſeminavit, id omne in iſto circuitu amœniſſimo collectim produxiſſe. Inter cæteras autem plantas ac herbas tanta feracitate inibi luxuriat *ſpina Solſtitialis*, ut ſegetum in-

incremento non parùm officiat & meſſorum manus ac pedes ſæpiſſimè cruore & vulnuſculis afficiat. Permultam ferunt *Ægylopem* ſegetes triticeæ & hordeaceæ æſtuoſis & glareoſis marginibus; necnon *Melampyrum perpuſillum luteum & Lithoſpermum Plinianum. Narciſſus medio-luteus* tàm copioſè floret, præcipuè in pratis ad *Lateranum* dirutum caſtrum non procul Monſpelio, ut gramini ſit detrimento. Frequens præterea eſt *Seſeleos omne genus, Thymælea, Aſarin, Pſyllium vulgare & marinum, Stæchas utraq;,*

Do-

Doricnium, Ilex Coccifera, Amygdalus, Oliva, Lentiſcus, Terebinthus &c. Vix ullus locus paulò aſperior montanæ hujus provinciæ cui deſit *Amelancher*, fruticis rarioris proventus. In riguis & maritimis *Tamariſcus*: *Bulbonaca* in alpinis: In olivetis Phyteuma ſeu herba amoris: Circa urbium mœnia, areas & ſtabulorum fimeta *Cucumer elaterii* ſponte importuno proventu oritur.

CRETA SALONENSIS pars eſt Galloprovinciæ, ſpacioſa, arida, pulcherrima planities inter duas urbes antiquas *Arelatum* &

& *Salonem*, (vulgus jam *Selon*, appellat) cui, quia, ut conjectura fert, cretaceum ſolum ſubeſt, nomen vernaculum *Crau* inditum eſt. In fuſiſſima hac planitie mediâ via inter dictas urbes ad diverſorium *D. Martini Polygonum Herniariæ facie*, elegantiſſimum collegimus. Ex adverſo ædiculæ iſtius *D. Martino Sacræ Picnomos*, ut puſillus ita pulchellus & rarus eſt *Carduus*, alibi vix obvius. *Phalangium Cretæ Salonenſis* dictum copioſè hîc quoque colligitur.

Inter Arelatam & *D. Ægi-*

dium

dium oppidum non procul à *Rhodano Chamæpythis major Dioſc.* uberè gliſcit.

Propè Aquas Sextias quibuſdam ſuperciliis collium & clivorum *Polii* quædam ſpecies rarior occurrit floribus luteis, ſpectatu jucundis.

Inter Briniolam & Vallum, urbeculas Galloprovinciæ, juxta argenteum amnem (vulgò ſic dictum) *Anagyris fœtens* uberè creſcit.

Non procul *Magdalenæ Fano* inter Aquas Sextias & Maſſileam (cautibus illis celſiſſimis ſpeluncaque mirabili, in qua

Maria

Maria Magdalena tanquam in cella precaria pœnitentiam egiſſe perhibetur, obque hanc cauſam *Saincte Baulme* incolis vocatur) videre *Tlaſpios* novam speciem floribus luteis, rapiſtri foliis, ſapore Eryſimi. Iiſdem aſperioribus præruptisque declivibus *Spartium aphyllon fruticoſum, junceum, rarum* adnaſcitur. Acclivibus illis quà celebris hîc mons S. Maximinum oppidum antiquiſſimum ſpectat, *Seriphium Dioſcorid.* ſeu *Abrotanum fœmina* Abſynthii quibuſdam putata ſpecies multa fruticat. *Nepa* vix alibi occurrit

curit præterquam propè montis hujus Specusque ſancti radices, præcipuè via qua *Aquas Sextias* itur.

MASSILEÆ olivetis vicinis ut & reliquæ Galloprovinciæ viarum marginibus fruticoſis *Phyllerea* major & minor arboreſcunt, utraque Oleæ amaſia. *Ferrum Caballinum*, elegantiſſima plantula propè hoc Emporium gliſcit. Uuiverſa hæc plaga laſcivit *ciſto mare, fœmina & Ledo, Coniza majore, Trifolio bituminoſo* ſeu *aſphalteo*, *Cappare, ſeſeleosq;* omni genere: paſſim autem & uberè germina-

nat *Maſſilienſe Seſeli*, præcipuè illis tractibus, quibus Maſſilea Aquas Sextas itur. Ad pomeria in marinis collibus ad Auſtrum devexis, aliiſque finitimis locis plurima fruticat vera *Tragacantha*, ubi vernaculo ibi vocabulo *barbe Renard* vocatur. Collibus urbi vicinis ad Maris illiſiones paſſim luxuriat *Coronopi & Sedi* media quędam planta ab antiquis non annotata. Locis ſqualidis & glareoſis ad *Monrond* plurima fruticat planta ætati noſtræ nova, adſpectu mirabilis *Tartonraire* Maſſilienſibus dicta: Effrenè & ad ſanguinem

guinem uſque purgandi vi pollens. Nos dum Maſſileę eſſemus Mercatorem quendam Mallthenſem ab Empirico quodam temerario plantæ hujus inconſiderata exhibitione interfecti vidimus: Quamvis dum antea Anno 1613. cum *D. Adamo Rubaco* & *Petro Janichio Pomeranis* *Medicis* ibi eſſem, è regione fere diverſorii noſtri, quod erat *au chapeau rouge* innoxiè Piſtorem quendam furnum ſuum hujus plantæ (licet cum aliorum fruticum aromaticorum Roriſmarini præcipuè) accenſione calefeciſſe meminerim.

St

Styracis feraciſſimus ille tractus, qui à *Trium Mariæ Sororum Fano* antiquiſſimo ad *Forum Julii* uſque protenditur: Inprimis propè oppidum *Solarium* collis amœniſſimus ſtoraceque coopertus non ſine jucunditate cernitur: Verùm gummi ſuo deſtituitur.

Qui porrò in jucunda plantarum ſpeculatione oculos paſcere deſiderat, nobiles illas & rariſſimarũ ſtirpium alumnas INSULAS STECHADAS, hoc eſt, ſecundum ordinem poſitas (Stichos enim ordinem notat) non à planta, ut aliqui hactenus

existimârunt adpellatas adeat
non ex adverſo Maſſileæ ſita
aut propè eam, ut perperàm
ex Dioſcor.&Mathiolo oſcitan
ter perſuaſum eſt, nec in Ma
Iberico, ut ex Galeno notan
negligentiores Geographi fer
omnes: (quis enim in Ma
Iberico aut Hiſpanico Inſul
tales ſe vidiſſe jactitabit) ſed
Mari Provenciali à Maſſilia b
dui integri itinere ac littore
regione *Olbiæ* diſſitas: quæ com
muni cum *Olbiæ* Inſulis nom
ne vulgò *Hyeres* dicuntur. O
ptandum foret, ut Botanici
Geographi non verborum v
litati

litatione, ut in more habent hodiè, ſed potiùs ſedula locorum luſtratione & peregrinatione ſcripta ſua confirmarent & illuſtrarent.

Sunt verò & illæ Inſulæ, quæ cis Maſſileam ex oppoſito conſpiciuntur, quas Dioſcorides perperàm *Stæchadas* appellâſſe videtur, ac hodiè paſſim vulgus Maſſilioticum indignè ſic nominat, multarum plantarum, præcipuè maritimarum feraces, ac inter quaſdam rariores naſcitur, ibi planta quædam ferulacea, quæ ob urbem proxi-

mam *Laſerpitium Maſſilienſe* appellari ſolet.

Npn procul ex adverſo di-ctarum jam Inſularum amœ-niſſimæ OLBIÆ INSULÆ inſpi-ciendæ ſunt, in quibus *Aranti* poma *Limonia*, *Citria*, *Granat*- tàm familiari fœtura perem-nant, ut ob ſemper virentium lucorum hilaritatem præ ſtu-pore quis ferè attonitus fia-Quemadmodum enim nullu ſpectantium oculus horum ju-cunditate ſatiari poteſt, ita ne lingua reperiri, quæ has deli-cias dignè narrare & exprimer poſſet. *Harundinem Sacharinam*

ne-

nec non *Marum legitimum* hîc conſpeximus. Secus dictos Arantiorum lucus *Buphthalinum* folio & facie cotulæ fætidæ tota pulchra planta conſpicitur, ut & in maritimis propè hanc Inſulam ſecus viarum margines *Buphthalinum* millefoliaceum, flore Chryſanthemi. In iiſdem maritimis ad Olbiam *Altheam arboream* tanto proventu fruticare vidimus, ut ad ſæpes conſtituendas ſat fuerit. *Nerion* ſive *Laurus roſea* in vergentibus ad Olbiæ maritima fluentorum crepidinibus multa conſpicitur. In quibuſdam aliis mari-

timis huic Inſulę adjectis cernitur *Ilex ſuberifera latifolia glande echinato*, ad crepidarum ſoleas fulciendas uſitata: nec non *Palma* arbor, quæ dactylos fert feliciter enata viſitur, ſed hæc fructum non maturat.

Univerſi tandem tractus Galloprovinciæ ſteriles *Rorismarino* coronario ornantur, ubi ſponte copioſiſſimè gliſcit, totamque hyemem vernat; cujus tanta ſuppetit copia colonis, ut foco domi alendo ſuccendatur. Magnâ quoque voluptate ſæpè luſtravimus florente *Stæchade* purpuraſcente:

coll-

colles, quæ Arabicæ aut Creticæ viribus nequaquam cedit: Sic *Spica*, *Lavendula*, *Thymo*, *Satureia* duriores natales tanto proventu ſcatent, ut etiam clibanis calefaciendis ſufficerent.

NARBONA.

SI delitias & divitias plantarum quæ Narbonenſi agro & maritimis virent, cùm pleisque Septentrionis vel ipſius Indiæ tractibus quis conferat, hocce ſaltus & paſcua aut deſerta loco putet, Narbonenſes autem præfecturas amœnitate &

varietate feraci Elyſia vireta di-cat. Illis quidem ſparſim mul-ta & rara, ſed hîc eadem, tùm longè plurima & lætiora puſil-lo ambitu, quaſi uno Europæ Orbis compendio, occurrunt. Narbonenſis provincia, ait Pli-nius cap. 4. lib. 3. Italia verè eſt, agrorumque cultu nulli pro-vinciarum cedit.

Prata ornat inter *Narciſſo*s præcipuè *medio-croceus*: prope horum margines & fluenta *A*... *ſter Mompelienſis*. In vinetis *Gramen* minimum *ſpica ſericea*, *Iſchæmon*; In olivetis *Phyteuma*, *Trifoliiq; varia genera* uberè pli-

ſcunt

ſcunt. Arva verò *Gladiolo* ſcatens, eumque evulſum ſurculatores in proximam viam projiciunt. Segetes æſtuoſis marginib. permultum ferunt *Hyacinthum* comoſum majorem & minorem, nec non *Hyacinthum botryoiden*: harum quoque alumna eſt *Scorpioides leguminoſa*, & *ſeſeli creticum*. Locis ſqualidis & ſabuloſis *Thlaſpi minus clypeatum ſerpilli* folio colligitur, alibi non obvium. In areis urbium *Panicum ſylveſtre* plurimũ ſpontè oriri ſolet. *Aphylanthum* ſtrigoſis ilicetis innaſcitur, quod nos cæruleo, & niveo

flore deprehendimus. *Thlaſpi græcum* quod aliàs Syriæ Candiæque peculiare, hîc indigena eſt. *Attractilis altera Cnici ſpecies* floribus tum purpureis tum luteis ſpontè paſſim oritur. *Terebinthi* ſemper virentis & perpetuifoliæ nullus collis aut devexus paulò apricior non feraciſſimus. Secus fluenta *Tithymalus dendroides*, *caraceus* & reliqui. Montes à Mari diſſiti feraces *Aſphodeli*: ubi bulbis illius quāvis acrib. ſues libenter veſcuntur. In editis ſylvoſis *Allium Urſinum*. Rignis & opacis montibus crebrum *Ciclamen verum*,

rum, cujus ingentem bulborum copiam collegimus in deſertis iſtis valleque opaciſſima *à Capelleduc*, manuductore & Doctore Clariſſimo Viro Domino Petro *Morello Gallo-Campano*, nec non Domino *Caſparo Weckerlino* Argentinenſi Botanico præſtantiſſimo. Ad aquas maritimas paſſim fruticãt *Plantago marina*, *Linum marinum*, *Limonium majus*, *Dorea Narbonenſium*, aliæq; innumeræ plantæ maritimæ. Ad Aquas *Marianas* & *Peraus* proximè piſcatorum attegias *Gramen marinum arundinaceum* plurimum re-

peritur, & *Braſſica marina* ſeu *ſoldanella*, *Anchuſa lutea Scammonium Mompelienſe dictum* copioſiſſimum toto illo littore & ſabuleto ab uſque Rhodani oſtio ad aquas marinas reperitur. Littoribus arenoſis frequens *Paſtinaca Marina*, *Juncus maritimus elegans*, *Aſphodelus*, *Teſticulus minimus odoratus*. Iiſdem Mediterraneis littoribus *Leucoium maritimum majus & minus*, *Peplis*, *Kali magnum & minus*, *nec non geniculatum*. Ex hac planta uſta *Sal Kali* ab Arabibus vocatum fit: per initia Autumni acervatim ſuper ſcrobe cui li-

gna

gna decuſſatim inſtructa ſunt, liquatur, cogiturq́; in glebam, quæ ad vitrum conflandum in Italiam & Septentrionem defertur. *Corallinæ* varietates marinis iiſdem littoribus obviæ. Paſſim verò frequens eſt *Lithoſpermum Plinianum, Ilex coccifera, Aſarine, Narciſſus totus luteus, Adonis, Heliotropium Scorpioide, papaver corniculatum, Anemone major corniculata, Papaver ſpumeum, Coniza major vera, Tymælea, Anthirrinum, Pſillium, Helleboraſter, Vincetoxicum, Zizipha alba, Ciſti omne genus, Sorbus* familiaris Valenæ ſylvæ. Non

temerè alibi quã in Narbonenſi
agro *Tithymalũ Caracium ſerrat*
reperies, qui ibi vulgatiſſimus.

Tribus à Monſpelio millia-
ribus amœniſſimo intervallo
diſtat Urbs FRONTINIANA, cu-
jus per univerſum Orbem no-
men ſparſum eſt, ob *vini Muſca-
tellini*, quod ibi uberè funditur
varietates & nobilitates: ne
non ob bonitatem & copiam
uvarum paſſarum, quæ inde in
varias mundi partes divehun-
tur *Frontigniæ* hujus aridis, gla-
reoſis maritimis totum vire
annum *Securidaca minor*. Inte
vineta muſcatellina marit-
mas

maſque ſæpes propè ſegetes ad dictam Frontignanam *Helxine Ciſſampelos* viſitur. In proximis olivetis ubere fruticat *Chamelæa tricocos*, nec niſi collibus vicinis arentibusque ſaxis ſponte enaſcitur. In marginibus agrorum *Anchuſa lignoſior* interdum occurrit. *Androſaces*, quam Matthiolus nuſquam virentem vidit, ſtagnantibus aquis ſalſis Frontignanis frequentiſſima, ubi è fundo aquæ, non in aëre, ut indocti Herboriſtæ eam pinxére, plerunque dorſis ſtriatis *Chamæchöchæ*, quæ terreo muſco obvoluta, ſuoque hoſpite *veſco*,

Italis

Italis *Capetondo* vocato, vacua ſit, innaſcitur. In arvo cui ſubeſt *Specus Frontignanenſis concameratio Polygonum Sericeum* elegans plantula viſitur, ſimul & *Chamæiris*. Regia via quâ Mompelio Frontignam itur *Viſcariæ* ſpecies occurrit flore muſcoſo. Eadẽ via ad dextram rupib9 illis propè ſubterraneas cryptas *Ferulago* plurima enaſcitur. Ad pontem Monſpelio milliare diſſitum via, quâ Frontignam itur apparet *Jacea puſilla*, humilis, ſerpens, acaulis ferè, flore albo & cyaneo. *Orchides vulpinos* vidimus propè dictam

ctam ſpecum vaſtam, que redeunti Frontignâ Mompelium læva eſt. Ad maritima ſpacia *papaveris cornuti* rara ſpecies flore phœniceo videnda.

CÆTI MONS, ſive *Mons Setius*, vulgò *Capo di Sete*, (promontorium Galliæ celebratiſſimum unico milliari à dicta *Frontigna* diſtans) celebriorum ſtirpium fœturâ famigeratiſſimus. Ex hoc *Alypum*, terribilem plantam vulgò dictam collegimus, cujus hiſtoriam vide apud doctiſſimum *Lobelium*, qui in plantarum accuratâ obſervatione omnibus certè Botanicis pal-

palmam eripuit. Inter cocciferas ilices frequens hîc eſt *Laurus tinnus*. *Seſeleos* omnia genera à Dioſcoride recenſita hîc occurrunt. In declivibus hujus promontorii, quà Mare ſe pandit copioſum eſt *Seſeli Peloponenſe* dictum Æthiopico non diſſimile. Ad radices montis hujus non procul piſcatorum attegiis frequens oritur *Parthenium* minimum marinum: Ubi & *Pancratii* plurimos bulbos eruimus, quos iſthinc Fratri meo Joanni Sigiſmundo Ratisbonam tranſmiſſos ante triennium floruiſſe audio. Ibidem &

Jacea

Jacea pinea nobis reperta. *Polium Maritimum* montanum, Cretico ſimillimum arenoſis Inſulæ hujus littoribus copioſum. Secus Inſulæ hujus lacuſtres tractus *Polygonum* quoddam rarum marinum obvium, & *Condrilla* quædam puſilla marina, lutea, bulboſa ad piſcatorum attegias. *Gnavalion* marinum univerſo littore & ſabuletis à Marianis aquis ad Promontorii dicti radices & lacum uberè gliſcit. Inter ſalebroſa huic monti proxima littora *Limoniū* majus & minus, ut & *Tripolium* lætè fruticat. Cis lacum non pro-

procul *Frontigna* ex adverſo Montis Ceti *Iris maritima* rara planta cernitur, ut & plures aliæ alibi vix obviæ.

LANGUEDOCIA.

LAnguedociæ agris paſſim frequens *Ritro* Theoph. ſeu *Sphærocephalos Cordi*, *Laurus*, *Umbilicus Veneris*, *Herba venti Rondelet. Thymum*, *Epithymum*, *Tymbræ* ſpecies piperella dicta, quæ condimentum acre eſt & piperis loco uſitatum colonis plurimis, *Epithymbra*, *Ilex cocci-fera*, *Ocimoides Monſpel. Smilax aſpera*,

aſpera, convolvulus ſpicæ folio, *Origanum* majus & minus, *Baccaris*, *Cynogloſſum* puſillum, & ſimiles aliæ plantæ innumeræ.

MONSPELIO propinquioribus locis frequens *Cauda vulpis* & Monſpelienſe *Polemonium*, *Polium montanum flore purpureo*, *Pecten veneris*, *Aſtragulus purpureus Monſpelienſis*, *Ferula*, *Lotus Africana*, *Ceterach*, *Seſeli pratenſe monſpelienſe*, *Ophiogloſſum*, *Geranei varia genera*, *Bupleuron*, *Carduus ſtellatus*, *Arbor Judæ* & aliȩ plurimæ, in quarum recenſendarum multitudine nolo Lectori moleſtus fieri. Inprimis

mis copiosè hîc creſcit *Mercu-rialis mas & fœmina* : Hinc Pharmacopæi Monſpelienſes frequenter utuntur ad enema-ta Melle Mercuriato, quod pa-rant ex lib. iij. ſucci expreſſi in-cocti in lib. ij. mellis optimi. Propè ſæpes ſatorum paſſim fruticat *Lepidium Æginetæ* ſeu *Dentaria Rondeletii.* Inter ſege-tes læta exit *Agnima Dracuntia*. Quod interdum montoſis locis ſaxorum commiſſuris *Phu* mi-nimum conſpicitur, id in ſege-tibus propè Monſpelium ado-leſcit. Propè culta & oliveta *Arthemiſia* tertia Dioſc. vulg.

Abro-

Abrotanum mas Monſpelienſib. dictum. Scolymus Sylveſtris plurimꝰ circa agros Monſpeliēſes, ubi Chamæleontha Monſpelienſium appellatur, hujus floribus Coloni antequam in pappos abeant, decerptis lac coagulant. *Carduus bulboſus* Monſpelienſium locis udis & pratenſibus paſſim frequens oritur inter Narciſſos & Ariſtolochias. Aridis olivetis Tribulus terreſtris ſerpit; collibus glareoſis frequens *Phyllirea* minor. Non procul Monſpelio quà itur ad ſcaturiginem *Lani* amnis ſecus ripam P*aliurus*

rus alter peregrinus. *Portulaca ſcorpioides* in vinetis admodum familiaris. In locîs circa Monſpelium naturâ udis & ſubſtiliis fervido ſole exuſtis *Hypericon tomentoſum* tota pulchella plantula oritur. Viâ illa, quâ de *S. Paulo*, monticulo tribus milliaribus à Monſpelio diſſito ad urbeculam *Cannetam* per Roriſmarini vireta jucundiſſima itur, legimus *Aphyllanton niveum* à nemine adhuc obſervatum. Maritimis ad *Peraus* & *Lateras* reptat paſſim *Anthyllidis* ſpecies marina incana appellata. In rimoſis ruderibus

&

& mœniis urbium Monſpelii & Nemauſii, ſed rarius victitat *Stæchadis citrinæ* quædam rariſſima ſpecies, à *Lobelio* primùm deſcripta & *Altera* appellata: quam nos ingenti copia cum Amico noſtro ſingulari Doctore *Joanne à Ridenchoven* Diſteldorpienſi, in antiquis murorũ ruinis cis amnem ad urbeculam amœniſſimam *Bederies*, duodecim milliaribus à Monte-pelio diſſitam, cùm ad altiſſimum montem *Scandolgo* propter herbas proficiſceremur, collegimus. Propè Ægidiam

K por-

portam ad rivulum *Periſteron* creſcit, ac in ſegetibus *Jacea lutea.* Plerisque agri Monſpelienſis collibus glareoſis *Verbaſcum* novum & elegans Salvæ tenuifolium dictum floribus luteiis oritur. Copioſiſſimum autem inter Aphodelos gliſcit monte illo, qui eſt media via qua Mōpelio ad hoſpitium S. Pauli ambuletur. *Coris Mompeliaca* nuſquam niſi Monſpelii & Frontigniæ ad radices Ceti & prope Magelonam invenitur, ideò ab urbe nomen obtinuit. *Rhus* obſoniorum Monſpelio conterminis

mina oliveta quædam glareoſa & macilenta alunt. *Rhus Plinii* uberè ad *Lani* amnis crepidines fruticas, quod ad Coria confirmanda ibidem adhibetur. Quatuor *Ariſtolochias* notiſſimas & uſu receptas habet Academia Monſpelienſis, *Longam, Rotundam, Polyrhizon*, & *Clematiten*. Rotunda valdè nota Galliæ Narbonenſi & univerſæ Languedociæ. Nos in vico qui *Salaſc.* dicitur novemq; milliaribus à Monte-pelio diſſidet, magnam copiam ejus ſæpè eradicavimus. *Longa* verò

propè rudera cœnobiorum, viâ, quæ Frontigniam ducit ubere gliſcit. Promiſcuè adeò *Rotunda* & *Longa* in pratis ad oppidum *villæ novæ* ex quo *Arnoldus Villanovanus* prodiit, germinant, ut vix diſcerni queant. *Clematitis* in olivetis ſegetibusque ſiccioribus toties occurrit quoties Monſpelio *Butonetum* verſus & *Caſtrum novum* deambulatum itur. *Polyrrhizon* ac clivibus illis quà ad Montem Lupi aſcenditur nobis primò monſtravit inſignis ille Botanicus Caſparus Wekerlinus Ar-

gentin

gentinenſis, quam poſtea & alibi in Languedocia & Montibus Hiſpaniæ vidimus.

BUTONETO rure Monſpelio propinquo, aliiſque glareoſis in Vere viſitur. *Fumariæ* quædã ſpecies exilis albiflora. Arvis viæ Butoneti proximis oritur *Holoſtium Monſpelienſe*. Via eadem inter ſegetes & crepidines cultorum *Natrix Plinii* oritur, & *Trifolium bituminoſum*. Inter oliveta ſcatet *Herba Turca* ſeu *Herniaria multigrana*.

Non procul Monſpelio aridis ſabuloſiſque olivetis vine-

tisque via ad patibulum pluri-
ma conſpicitur *Chamæſyce* ele-
gantiſſima. Ad collem ſquali-
dum & glareoſum ejuſdem ſu-
ſpendii pauloque ulterius *Phyl-
lon* fœminîparum creſcit. Ad
ripas devexas ejuſdẽ loci, ſqua-
lidosq; margines & colles pro-
pè urbem *Syderiditis* rara Mon-
ſpelienſium oritur ſpecies, alibi
non nota, à vulgari multùm
diſcrepans. *Cyanus* minimus
purpureus Monſpelienſis aridis lo-
cis conſpiciendus.

Sellæ Novæ propè pon-
tem *Filipendula* vera laſcivit. In

Cam-

Campeſtribus illis viâ quâ Sellâ novâ ad ſcrobes lutulentos & fornaces, ubi lateres uruntur, ambulatur, ſæpius mihi meoq; ceu Fratri *Joanni Wilhelmo Rhe* Noribergenſi, magna copia lecta fuit mirabilis & ſpectatu elegantiſſima *Jacea pinea*, quam nobiſcum in Germaniam allatam magna jucunditate multi clariſſimi Viri ob formæ elegantiam mirati ſunt. In iiſdem conterminis *Scorpioides* Bupleuri filio uberè ſerpit. *Scolymon Theophraſti* ſeu *Eryngium luteum*, Marino magno non ab-

ſimile, ſæpè vidimus in marginibus pratenſibus, dum natatum iremus ad amnem amœniſſimum paulò infra pontem *Sellæ novæ*: Hujus Cardui flore Seplaſiarii crocum adulterant. Aſpeximus namque ſæpè non ſine fraudis ſuſpitione ruſticas puellas & pueros quampluri-mos in maritimis illis ſabuletis *à Peraus* magnâ copiâ & ſedulitate hos flores collegiſſe, qui nobis quæſitantibus hoſce ſe mercatoribus venundare fatebantur. Via illa regia, quâ Sellâ nova ad proximum molendinum

num itur ad margines clivoſas ſæpè eruimus *Ivam moſcatam*, alibi vix notam, quam tamen per phraſin contrariam ſic dictam puto, cum moſchum minimè redoleat. Reperitur etiam hæc herbula nobiliſſima viâ illâ quâ *Grammontium* itur. In udis agrorum marginibus propè hanc *Cellam novam* ſæpè collegimus *Centaureum luteum perfoliatum*, veteribus ignotam plantam miræ elegantiæ. *Jacea lutea* viſitur vicinîs vinetis. Cis pontem plurima *Jacea incana Cyani flore* & capitulis conſpicitur.

citur. In acclivibus mox é regione hujus Cellæ novæ Ego & *Joann. Wilhelmus Rhe*, dum animi gratiâ exſpaciaremur, fortunâ invenimus *Ferrum equinum* in rimoſis marginibus plantulam ut rariſſimam, ita diu à nobis antea deſideratam.

Propè Monſpelii NOVUM CASTRUM cis Lanum amnem, aridisque viarum crepidinibus viſitur *Thlaſpi puſillum*, quibuſdam *Italicum*, rectiùs verò *Narbonenſe*, dictum. Junio & Julio cis pontem hujus Caſtri

Con-

Condrillæ nova elegansq́ ſpecies provenit, *Condrilla viminea viſcoſa nunc* adpellata, nec non *Aſter minor* Tripolii flore. Juxta *Lanum* amnem *Tithymalus Cypariſſeus, Halleboraſter, Colutea ſcorpioides* & aliæ plurimæ plantæ enaſcuntur. Ad ripas Lani propè pontem & alibi paſſim juxta ſæpes & olivetorum margines *CaſſiaPoëtica* legitur; præcipuè ingentem ejus copiam vidimus viâ illâ mediâ, quâ ab urbecula *Gange* ad *Hortum Dei* aſcenditur.

LUNELLA urbecula eſt qua-

tuor milliaribus à Mompelio diſſita. Propè hanc ad latus eleganti in planitie ad pontem lapideum videbitis celeberrimum totius Galliæ hoſpitium *la Bigude au pont de Lunel* appellatum : Quod ante tres annos abrogatum inque dictam urbeculam translatum eſt, vocaturque jam *à la pome*, vel *à la poſte*. Ad hanc urbem *Coniza major vera* & reliquæ ferè omnes ſpecies inter plurimas herbas utiliſſimas occurrunt.

In NEMAUSII olivetis cæteriſque tepidioribus & apricis arvis

arvis ſponte ſua fruticat *Botrys*, quæ Anglis & germanis in hortis colitur. In aquis lympidis apud hanc urbem antiquiſſimam *Fontilapathum puſillum* quoddam & elegans provenit, alibi non temerè obvium. In agris aſperis inque olivetorum marginibus *Feniculum tortuoſum* frequens.

Viâ *Avenione Nemauſium*, proficiſcenti obvius multus erit *Aſter Italorum*. Cæterùm inſpicite inter har duas urbes auguſtæ antiquitatis Romanæ magnificentiæ rudera, ruino-

ſaque triplicis fornicis pontis GARRI vocati eximia & ad finem mundi procul dubio duratura monumenta, in quorum ſtupendæ ſtructuræ encomium *Beza*, dum hoc mundi magnificentiſſimum miraculum cerneret hos verſus protulit:

Montibus impoſitos cantavit Græcia montes,
Pyramidum oſtentat barbara Memphis opus.
Plus eſt, quod cernis, triplicis conjungere pontis
Fornicibus, montes ſic poſuiſſe duos.
Et plus eſt, victam quo ſe natura fatetur,
Impoſuiſſe ipſis flumina fluminibus.

Et

Et rurſum hoc plus eſt, contempto laudis honore
Artificem nomen ſubticuiſſe ſuum.
Mire opifex, quod tu feciſti, ſit licet ingens,
Quod non feciſti, plus ego miror opus.

GRAMMUNTIUS LUCUS eleganti via deambulatoria à Monſpelienſi urbe diſſitus, Ilicibusque arboribus querna elegantia Proceris refertus, multarum elegantiorum plantarum, quæ ſqualido ſolo gaudent, ferax eſt. *Ciſti* omne genus ibi luxuriat; præſertim *Ciſtum annuum* ingenti copia gliſcen-

ſcentem nutrit. Præterea lociſ ſaxoſis *ſymphitum petreum* oritur. Sæpiùs hîc nobis conſpecta fuit *Filipendula* vera: nec non *pulmonaria Gallorum flore Hieracei, Oxytriphillon alterum Scribonii, Spartium Dioſcorideum, Ilex coccifera.* In herbis aridis huic ſylvulæ vicinis *Ochides* eruuntur. Heliotropium minimum repens haud alibi repertu facilè, niſi in ſcrobibus lutulentis Grammontiæ vicinis inter pulegios cervinos & Tamariſcos. In vicinis devexis pratisque oritur *Bellis cerulia.*

Mon-

Monſpelienſium. *Gratiola* ingenti germinat inibi abundantia. Utrumque *Pulegium Regale* & *Cervinum* ponè cœnobium & in primo aditu ad lutoſos ſcrobes multum fruticat. In ingreſſu hujus ſylvulæ non procul via regia *Ornithopodion*, Monſpelienſem elegantiſſimā plantulam collegimus. *Baccaris* Monſpelienſium ſeu *Coniza* major vera in finitimis agris: viâ publicâ minor; in depreſſis ſylvæ lacunis minima conſpicitur. In ſabuloſis collibus *Anchuſa onochiles* reperitur. Inprimis

mis verò amœniſſima fœcunditate non ſine ingenti animi delectatione inter veræ *Stæchadis purpureæ* quam aliàs Arabicam vocant) fruticeta hinc inde deambulavimus.

Duobus à Monſpelio milliaribus ad *Mare* amœniſſimam Inſulam MAGELONAM, quam Ponponius Mela ſub nomine MAGO intelligit, inque ea Caſtellum munitiſſimum non ſine jucunditate vidimus aliquoties, ubi monumentum ſepulchri pulcherrimæ *Magelonæ* monſtratur, quæ & Xenodochium

chium quod hodie ibi eſt condidiſſe dicitur. Inſignis Juris-conſultus *Rebuffus* hîc ſepultus perhibetur. Pertinetq; hæc Inſula ad juriſdictionem Epiſcopi Monſpelienſis. Viâ ad hanc Magelonam propè ſegetes ad pontem *Phalaris* vera conſpicitur. Maritimis vicinis frequens cauda vulpis Mompelienſis. *Cakile* Serapionis propè Magelonam hanc. Paucis locis alibi oriundam ſpectatæ elegantiæ *Rubiam Marinam* non facilè niſi in maritimis ſabuletis Inſulæ hujus & ad *Peraus*

cir-

circumjectis invenies. *Andro-ſaces*, quam Herboriſtæ pauci, licet eam in libris depinxerint, conſpexerunt, Piſcatoribus ſtagni Megalonenſis & Lateræ accolis notiſſima.

Duobus quoque milliaribus à Montepelio ad Mare cis *Vidurlam* ſitæ ſunt AQUÆ MORTUÆ (*Aigues mortes*) urbs licet non ampla, potentiſſima tamen & fortiſſima turri rotunda præmunita. Solùm verò ut habet udoſum ita aërem minùs ſalubrem. Sal ingenti copia hîc paratur. Arenoſis his littoribus in-

in via inter deambulandum *Tipham majorem*, nec non inter cæteros bulbos *Pancratium* elegantiſſimum, tandem *Corallinæ* miras varietates & plurima alia quæ à marinis fluctibus in terram eructantur, collegimus.

Lupus Mons quarto à Monſpelio milliari prominet, qui ut altiſſimus, ita omnis generis rariorum florũ ubertate amœniſſimus. In devexis hujus montis quà ad Septentrionem vergit *Campanula lutea linifolia flore volubilis* conſpicienda: hæc ut rariſſima eſt planta, ita nulli-

bi ter-

bi terrarum aliàs obvia. *Seſelii Peloponenſe* ad hunc montem reperitur, ut & *Pæonia fœmina* ſponte ibi germinat. Ad ima ejus meridiem verſus oritur *Carducellus Montis lupi* dictus, propè puſillum amnem aut torrentem, Carduorum ſpecies ut omnium minima ita tota pulchella & rara. Ad radices quoque ejuſdem montis *Ericæ flore albo* mira proceritate cernitur. Majo & Junio ad eaſdem radices conſpicitur *Thlaſpi* alterum Narbonenſe minus umbellatum naſturtii hortenſis

fo-

folio. Pone publicum diverſorium quod ibi eſt *Ranunculus gramineus* geniculatus obvius. Porrò mons hic nil niſi hortus amœniſſimus eſt præſertim ubi circumjacentes tractus ei adjeceris, ex quibus inter plurimas alias non tantùm prædictæ, ſed & hæ ſequẽtes herbæ lectæ ſunt; *Laureola, Thlaſpi clypeatum majus, Ciclamen flore niveo, Chamæciſtus thymi folio, Thlaſpi vacariæ folio, Satyrion muſcatum, Trifolium hæmorrhoidale, Ciſti varia genera, Cicoreum bulboſum, Cardamine vernalis, Lithoſper-*

ſpermum repens, Tulipa, Narciſ-ſus totus luteus, Ediſerum luteum, Citiſus ſaxatilis rutæ folio, Teu-crium arboreſcens, Orobanchæ, Satyrion abortivum, Thlaſpi ve-rum, Sigillum Mariæ, Thlaſpi ſpi-noſum Montis Lupi, Amelancher, & aliæ infinitæ.

Porro à Galliæ hujus urbe-cula GANGE per ſeptem mil-liaria diſſidet Mons perquam amœnus, celſus, herbarumque lectiorum feraciſſimus, obque hanc ipſam cauſam magni no-minis HORTUS nempe DEI *L'hort de Dieu.* à Botanicis ap-pell

pellatus. Ex hujus jugis eruimus *Lilionarciſſum luteum* & *Cacaliam*. In clivo ejus, quà ad meridiem vergit *Nardi* ſpecies elegans *Gangites* dicta erumpit, tota inodora. Ad montem *Calcaris*, *à L'eſperon* propè pagum, ubi hoſpitium habebamus, collegimus *Gnavalium montanum* purpureum & album. Elegantiſſima *Nardi Celticæ* ſpecies, ſed non niſi diligenter perſcrutantibus reperitur inter Hortum Dei & hunc Calcaris montem *Filipendula altera* montana in utroq; mon-

te frequens, ut & *Achillea* mon-
tana Artemiſiæ folio, nec non
Meu verum. Propè cœnobium
videbitis *Geniſtellam* grami-
neam montanam. In circum-
vicinis AVERNIÆ montium
rupibus lecta nobis eſt *Anemon*
flore albo, pulſatilla aliàs dicta
Ornithologen luteum, *Cotyledon*
minns ſedi folio, *Aconitum*
batrachoide. Sic in SEVEN
VEGANII herbidis & umbro-
ſis frequens *Ocymoides repens*
Androſemum magnum, *Linari*
purpurea; In arduis acclivibu
Calamenta montana vera, *Pœon*

ma

mas & fœmina, Alabaſtrides Herbariorum nemoralis, *ſalix repens* multa & ſimiles plantæ alpinæ occurrunt. In itinere illo, quod mihi cum *Laurentio Bauhino Mompelgardienſi, Jacobo Brunone Baſilienſi, Gamaliele de Turre Bernenſi*, cumque plurimis Gallis Medicinæ Studioſis commune erat, plures herbas lectiſſimas ex horum montium jugis collegimus. Erant autem ex plurimis hæ: *Filix ſaxatilis*, *Spondilium*, *Ulmaria*, *Cariophyllus montanus*, *Pentaphyllon alpinum*, *Digitalis*

purpurea, Seſamoide parvum, Plantago alpina, Geniſtella Tragi, Hieraceum latifolium & anguſti-folium Cluſii Filipendula monta-na, Elleborus albus, Caltha palu-ſtris, Polygonatum, Doronicum, Lychnis flore rubello, cruciata, Gnaphalion montanum, Pyrola, Cratæogonon, Herba Paris, Soli-dago Saracenica, Lunaria botyroi-des, Ros ſolis, Daucus montanus, Scorzonera, Napellus, Aconitum ponticum, fumaria bulboſa, Bul-bocaſtanum, Tulipa Narbonenſis, Crocus, Trifolium fabaceum, Li-quiritia trifolia, Ranunculus glo-

boſ

boſo flore, Aconitum racemoſum. Lilio-aſphodelus albus, Allium urſinum & aliæ.

Cæterùm in agro *Tholoſano* eruitur *Acori* quædam ſpecies, quæ cum primo adſpectu *Chinæ* non abſimilis eſſet, ſaporeque fermè nullo, Pharmacopolæ eam pro vera China vendidere: Verùm fraus jam paſſim detecta; adſtringit namque & ad morbum Venereum curandum inefficax eſt. Ex *Glaſto* inſuper magna hîc habentur commercia, herba quâ lanarum tinctores utuntur, quam

inibi *Paſtel* vocant. Deſcribit eam Dioſcorides ſub nomine Iſatidis ſativæ.

Quamvis laborioſum periculoſumque ſit hinc in HISPANIAM trajicere, ſedulum tamen Botanices Studioſum, & qui labores, æſtus, frigora, famem ſitimque patienti animo ferre ſcit, inque periculis quibusvis cautum & cordatum ſe præſtare novit, nec laboris penitebit, nec pericula dehortabuntur, quin PYRENEORUM MONTIUM, quibus Gallia ab Hiſpanico Regno diſterminatur, juga præ-

præruptasque cautes forti animo adeat, præcipuasque Hiſpaniæ præfecturas tranſeundo ſaltem perluſtret. Commodiſſima verò ea via eſt, quæ *Tholoſa ad Perpignanam* urbem hincq; non procul ad radices *Pyreneorum Alpium* ducit, ubi inter multas raras plantas *Thapſim*, ſeu *Turbith Gallicum* magna copia videre eſt. Ubi verò alpinos hoſce lucos altius aſcenderis *Meu veri* plurimas plantas conſpicies. *Narciſſum luteum*, præcipuè in *Mindenis jugis*, nec non *Thoram* & ejus antagoniſtam

ſtam *Antithoram* reperies. Im celſiſſimis porrò rupibus hiſce radiculæ multæ cernuntur & eruuntur inodoræ, quas Sepla-ſiarii effodiunt, miſcentque cum Spica Indica, ut hinc odo-rem aliqualem contrahant, & ſic veram Spicam Indicam ad-ulterant. Sed fraus facilè de-prehenditur. Nam ſi confrin-gatur vera Spica Indica, nil niſi filamenta intùs conſpicies, in dictis verò radiculis lignoſum & duriorem quaſi nucleum de-prehendes. Ex innumeris por-rò aliis plantis, quas hinc inde

pen

per hos montes collegimus, rariores ſunt hæ ſequentes: *Ferula galbanifera, Chondrilla Hiſpanica cærulea, Valeriana alpina, Daucus alpinus, Cardamine alpina, Tulipa lutea, Polygonum Hiſpanicum ſeu niveum Cluſii Napellus racemoſus, Fumaria bulboſa rubra, Linaria repens odorata, Doronicum latifolium, Aſter Conizoides* & ſimiles. E montium horum convallibus quibuſdam humentibꝰ uberè prodit *Nardus ruſtica.* In montoſis temperatis & rîguis locis *Iris,* florentinâ non minùs odoratior provenit.

Ad Mare Mediterraneum quibuſdam tractibus Hiſpaniis *Arundo Sacharina*, Indicæ non diſſimilis, nota hodie eſt. *Squilla* quoq; torridis ſabuletis maritimis frequens, ut & *Linoſpartium*, *Elpho* vulgò dictum, quod ingenti copia Maſſileam devehitur ad Corbes, ſtragula & navium rudentes commodum. Sic ad ſcoparum uſum notiſſimæ ſunt *Palmulæ humiles* ſeu *Chamæriphes*.

In confinibus *Valentinianis* *Aſpalati* quædam ſpecies creſcit rubicunda. Qui à dicta Urbe

Per-

Perpignana ad florentiſſimam *Barcelonam* rectâ brevioreque xiâ proficiſci voluerint, iis hæc loca tranſeunda, *Bolon*, *Loſcarnovo*, *Biſcara*, *Girona*, *Caſa bianca*, *Ropitta*, *Sillon*, *La Roca*, *Moncada*. Ad Barcelonam autem copioſiſſimè provenire vidimus *Scorzoneram de Scurſo* ſic appellatam, quod viperam in lingua Catalanica qualis inibi viget (de qua Lingua Proventialis & Linguagotia multum participant) denotat: viperæ fugam latinè dixeris. Succus enim ejus præſtantiſſimum

ad morſus viperarum eſt remedium: hinc eſt quod quidam Pharmacopæi ibi bonam ejus partem confectioni Theriacæ admiſceant,

Arbor punica ſylveſtris in Hiſpania, præſertim Mauritana ſponte arboream magnitudinem aſſequitur, unde pulcherrima mala punica in proximas regiones advehuntur. Sic olearum lucos denſiſſimos & amœniſſimos alunt apricæ tepidiores convalles Hiſpaniæ. Eſt & huic regno fructus *Ficus* magno ſubſidio, ubi ſylvulæ per-

perelegantes uberrima fætura conſpiciuntur. *Capparis* Hiſpaniæ quoque notiſſima: nec non vulgatiſſima inibi *Oriza*, *Stæchas citrina* præſtantiſſima, in aridis & petroſis locis plurimis, ubi odoratiſſima æſtate tota conſpicitur. Sic *Origanum Heracleoticum* uberrimo proventu fruticat, quod plenis ſaccis ab inſtitoribus hinc inde diſtrahitur, eoque vulgus piperis loco in obſoniis utitur.

Verùm ne extra propoſitum evagemur, ad Galliam noſtram Narbonenſem & provencialem

revertamur, quæque porrò in iis notatu digna breviter annotemus.

Manna Brianzonenſi ad Galloprovinciæ & Allobrogum Alpes provenire ſolita univerſa fermè utitur Gallia, præſertim quæ è laricum ſurculis colligitur, quæ nec guſtu nec effectu purgandi cedere exoticæ videtur.

Capillus Veneris verus ſoli Narbonenſi & Mompelienſi tractui familiaris, petroſis, riguis umbroſiſque locis, præſertim ſterilis *Sevenæ* finitimis

Ne

Nec non rupium, fontium & puteorum labris & aſperginibus Monſpelii & Nemauſii frequens. Alibi in Gallia præſertim frigidiori nuſquam provenit, multò minùs in Germania & Anglia: Quin nec Italiæ quidem multis locis fruticat. Neceſſariò igitur ex hiſce Provinciis *Lugdunum*, *Lutetiam*, *Antuerpiam* & in cætera Emporia celebria devehitur.

Quæ Gallas dat *Quercus* ea Allobrogum nemoroſis alpibus reliquarumque cemperatiorum Provinciarum eſt vulgatiſ-

gatiſſima. Sic è Dolphinatu, in quo Larices proceræ ac copioſæ, quarum truncis adnaſcitur, *Agaricum* laudatum prodit.

Mori uberrimè vireſcunt Agro Avignionenſi aliiſque plurimis locis, ubi folia earum pangûntur ad vermis Serici paſtionem.

Loti multæ arbores in Gallia Narbonenſi miræ & ſpectandæ proceritatis occurrunt; Superant namque magnitudinem quamlibet maximam vel Quercuum, præſertim loco non pro-

cer

cul Monſpelio, cui nomen *Butonet*.

Eſt quoque magna ſubſidio in Galloprovincia fructus biferæ *Ficus*, ubi vere & Autumno perelegantes ſylvulas quaſi videas.

Si Galeno laudatum illud mel eſt, quod ex monte quodam inter Bergamam & Elcam ſito, qui Thymo abundat, provenit; nec non illud quod è Niſiæ monte Thymo quoque & Origano ſcatente defertur: Certè Provenciale Mel optimum cenſendum, cum

ma-

maxima pars montium Thymum & Origanum uberè nutriat.

Sic oleum olivarum præſtantiſſimum cenſendum eſt illud, quod oleæ luci perennes & denſi Languedociæ alunt, apricæq; convalles Galloprovinciæ tanquam laticem fundunt.

Vinorum alborum, rubrorum & muſcatellinorum uberrimus per has provincias proventus: Vina Aureliana aliàs generoſa quoque; nec minùs vinoſa ſunt, quæ in Lutetianis vinetis coluntur, ut Meudonianum

nianum, Ruellinum, Argentolianum; quæ omnia generoſa ſunt indigentque Amphictione, qui primus aquam vino miſcuit. Vix aliud vinum reperies quod dotes Falerni; eaque omnia requiſita vinoſa habet, quæ ad Theriaces confectionem requiruntur, quàm quod de *Crau* ex Arelatenſium agro provenit.

Bolus ſeu Terra Bleſenſis ad urbem *Blois* ante aliquot annos inventa, hodie univerſæ Galliæ pro Terra Armenia inſervit; deſcriptaque eſt *à Richerio de* *Bel-*

Belleval in tractatu quodam peculiari: Nobis etiam dum in Languedocia ad herbas inviſendas plurima loca luſtraſſemus cum dicto Domino Richerio Botanices in Monte Peſlio Profeſſore, reperta eſt ſimilis quædam terra eleganter è nigro rubeſcens, lævis & adſtringens, in ſcrobe quodam lutulento per ſeſquimilliare ab urbe diſſito non procul urbecula *Fabrego*.

Non ita diu eſt quod *Viperarum* genus, quod in Italia frequens, & ad nobiliſſimam Theriace

riaces confectionem pro baſi adhibetur, in Galloprovincia repertum in plurimis locis nempe *Nartubi*, *Lagnolles*, *Chaſteu double*, *Lapier*, *Beturges* & *Veino* appellatis: ubi incolæ tales viperas vocant *Eſcourchons*, quarum unam nos ex natali loco nobiſcum in Germaniam attulimus, exiſtimamusque Clariſſimo Viro D. Jacobo Fontano Medico Aquenſi, & Tuſſano Hervier Pharmacopæo Marſilienſi doctiſſimo, annuentibus, eas veras & è bonis optimas eſſe viperas. Locus enim

enim natalis earum temperatus eſt, quoniam Galliæ hæc pars ad ingreſſum ferè ſexti climatis ſita, quod temperaturæ viperarum maximæ convenit. Quamprimùm verò Incolæ ab harum morſu inficiuntur, ligare ſolent locum affectum ſtrictiſſimè aliam viperam aut Scorpionem contuſum imponentes, denique locum læſum ex aqua ſalita lavantes, ſic immunes evadunt. Doctor Renonus Medicus Draguignanus felici ſucceſſu adverſus horum animalium

pum

puncturas & morſus oleo Caryophyllorum deſtillato utitur. Ex Dei ergò munificentia habent hoc beneficii Pharmacopæi Provenciales, qui anteà Trochiſcos Viperinos Venetiis afferri neceſſe habebant, quod ſub fide ſimplicis atteſtationis veras & vivas viperas & ſecundùm artem electas non ſolùm hinc ipſi recipere, ſed etiam aliis vicinis eas diſtribuere queant.

Tandem operæ pretium me facturum arbitror, ubi candidum Viatorem admonuerim,

in

in Languedocia reliquaque Gallia Provenciali & Narbonenſi inſecta illa lethifera *Scorpiones* puta eſſe frequentiſſima quæ ſe in antiquioribus murorum rimis ac fiſſuris ſuſtentant, nec non in ſubſtratis lectorum uſitatioribus non rarò reperiuntur, ob quæ non ita tutum eſt ſine diligenti linteorum ad Caminum ventilatione & inquiſitione ſeſe omnibus ſtragulis inconſideratè ſubmittere. Eſt enim venenum Scorpionis minimum quidem mole, ſed facultate & immanitate

ma

maximum & potentiſſimum, & ſæpiſſimè lethale, præſertim ſi à jejuno ſcorpione tempore æſtivo & ſub Cane effundatur. Quamvis albi Scorpionis, quales hic reperiuntur, puncturæ non ita lethiferæ. Ubi verò quis à Scorpione tali percutitur, dolor fit vehemens, circa plagam ipſam uſque adeò ingens ſuboritur incendium, ut locus videatur peruri, corpus velut guttis quibuſdam percutitur, ſitis affligit, nervique omnes quaſi tendi videntur. Eſt verò contra hoc venenum remedium præſentiſſimũ uſus

ſalivæ humanæ præſertim cor-
poris jejuni: Inprimis etiam
confert læſis à Scorpione, ſi il-
lud idem animal, quod vene-
num intulit parti afflictæ affri-
cetur, locusvé oleo de ſcorpio-
nibus perungatur. Quia autem
Scorpiones altè & profundè a-
culeum ingerunt, ita ut vulnus
quidem ſit profundum, ſed te-
nue & obſcurum, eapropter
magnâ vi & diligentiâ ſunt af-
fricanda remedia plagæ, ut ſci-
licet motu & attritione vis re-
medii altiùs penetret. Fomen-
tum majoranæ cum urina hu-
mana, nec non Aſſa fætida in v-

ni

no applicata, mira præſtant: laudatur etiam Theriaca.

Cicutas etiam duorum pedum longitudinem habentes non ſine horore ſæpiùs ex ſaxorum cryptis erumpere vidimus; verùm hæ humano generi noxam non inferunt. Serpentum verò & viperarum varia genera hinc inde obvia ſunt, quarum morſus & noxas, ût evitet Peregrinator, conſultúm erit ſibi ab iis earumq́; ſpeluncis cavere.

De his hactenus ſatis: De Plantarum verò & Herbarum Catalogo hoc velim obſervet

Studioſus Peregrinator, præci-
puas ſaltem hîc à nobis recen-
ſeri, innumeras verò tanquam
communes & alibi obvias o-
mitti; Deinde eas, quas aſſi-
gnavimus non omni anni tem-
ni tempore, ſed hoc vel illo, u
natura talium fert, protubera-
re: Denique multorum invi-
diâ & temeritate plurimas radi-
citùs ita evelli, ut ſaltem alii
talia loca viſitantibus eas inve-
niendi abſcindatur occaſio, ut
ſæpius contigiſſe ſcimus.

Hæc ſunt, *Candide Lector*
quæ de rebus Gallicis publicar
hoc tempore libuit. Novarum

ſimu

ſimul plantularum à nemine adhuc obſervatarum aut deſcriptarum, quas nos ipſi ex agro Mompeliaco & conterminis Provinciis collegimus, Eicones & deſcriptiones adjunxiſſemus, niſi perpeſſo ante annum incendio eædem cum totius Bibliothecæ noſtræ jactura miſerè ablatæ fuiſſent. At ubi præſentem noſtrum conatum acceptum tibi fore animadverterimus, plura alia in uſum tuum communicabimus.

His jam fruere &

VALE.

LUCÆ GVARINI TRANSYLVANI

Clypeus Spiritualis.

Quo ſe quivis pius peregrinator ab omnibus hoſtibus tàm viſibilibus quàm inviſibilibus defendere ac è quovis periculo tutus evadere poteſt.

EſT ſanè is, qui exteras nationes inviſit, variis obnoxius periculis ob innumeros hoſtes tàm viſibiles quàm inviſibiles, qui in pere-

peregrinatores excubias agunt, iisdemque variis modis inſidiantur. Quærit inprimis Leo ille rugiens ac Lupus infernalis Diabolus ut pias mentes in damna præcipitet, aut ſanè per inſtrumenta ſua, puta latrones, hoſpites iniquos, ſcorta, aleones & ſimiles homines protervos ineſcare queat. Hinc certè fit, quod multi ſæpe è patria quidem ad exteras gentes progrediantur, ſed pauci aut ſane ii mente corporevè mutilati domum revertantur. Hoc ego ſanctè aſſero, me ſæpiſſimè iis in periculis verſatum, ut de hu-

 mana

mana ope deſperans, ſolâ & unica Sanctorum Angelorum tutelâ me ex iiſdem evaſiſſe manifeſtè perſpexerim. Hanc autem Sanctorum Angelorum tutelam quilibet Peregrinator ante omnia ſibi acquirendam & a Deo obtinendam ſtudeat: quod nulla ſanè alia ratione fit, quàm piis ac ſecretiſſimis precibus, quæ valent in omnibus adverſitatibus & periculis ſubeundis, magniſque rebus exercendis ac tentandis, quin & in ipſo hoſtium congreſſu. At ſobriè ac ſumma cum devotione, ſpe firma, fide non vacillante,

ocu-

oculis in Deum fixis hæc peragenda pietas. Sic enim ab omnibus inimicis viſibilibus & inviſibilibus, eorumq́ue armis noxiis & quibusvis eorum conſiliis, inſidiis, vafriciis, quomodocunque ſub globo Solari excogitari poſſunt, tutus, incolumis, tandemq́ue victor ope ſummi & ineffabilis Dei eris. Hæc ſunt arma noſtra ſpiritualia, quæ ipſe in magnis neceſſitatibus, quin & ad profligandos quoſcunque inimicos miraculosè expertus ſum, compertumq́ue habèo, multos Duces ac magnos Principes & quidem

non multis tranſactis tempo-
ribus, præſertim Alphonſum
Siciliȩ & Matthiam Hunnorum
Reges, Carolum Quintum Im-
peratorem, Andream Doriam,
Antonium de Leva, Jacobum
de Medices, Comitem à Maria-
no, & alios ſolo piarum precum
adjutorio, tàm in procellis ma-
ritimis quàm in terris fauſtiſſi-
mos ac victorioſiſſimos extitiſ-
ſe. Vidi etiam quod in Codicillo
Varadini devotiſſima benedi-
ctio aureis literis perpolitè ſcri-
pta erat, quam Matthiam Pan-
nonum Regem ſtrenuiſſimum
ſemper in uſu habuiſſe pro cer-
tiſſi-

tiſſimo ferunt. Præſtò enim eſt Dominus eum invocantibus, ut eripiat eos; qui in omni loco, in quo facta fuerit memoria nominis ejus, ad nos ſe venturum & nos benedicturos promiſit: *Ponam enim*, inquit, *nomen meum ſuper filios Iſrael & ego benedicam eis.* Quisque igitur iter initurus ante omnia operam det ut CHRISTUM JESUM ſibi comitem adjungat, quem ut ſibi aſſociet, ita ardenter invocabit:

FIdeliſſime Cuſtos hominum JESU CHRISTE ſub cujus cuſtodia nihil eſt uſquam periculi, ſine cujus tutela nihil eſt uſquam tutum, qui per angelum tuum proſperaſti iter ſervi Abrahæ ac filii Tobiæ, omniumq; tibi ſyncero corde fidentium, da precor ut tuis auſpiciis hæc profectio mihi felix ſit ac fauſta, ac rebus ex ſententia geſtis, corpore pariter atq; animo per-

perveniam ac redeam incolumis, tuæq́; bonitati gratias agam, cum omnibus qui me ſalvum eſſe gaudent aut gaviſuri ſunt. Aliud quod tibi nuncupem votum non habeo, Servator hominum, qui cum Patre ac Spiritu ſancto vivis in omne ævum, Amen.

Cæterùm ſingulis horis matutinis, quin & veſpertinis pium peregrînatorem admonitum velim ut ſequenti Benedi-

ctione contra omnes viæ injurias ſe muniat, flexis genibus ſic orando:

BEnedicat mihi Omnipotens Deus Pater Creator: Benedicat & illuſtret me miſericordiâ plenus Dei Filius Redemtor: Benedicat & illuminet me Benigniſſimus Deus Spiritus Sanctus, omnibus diebus & noctibus vitæ meæ. Confirmet me virtus & miſericordia Domini

No-

Noſtri JESU CHRISTI in omnibus meis operibus, intercedente pro nobis illius mortis ac reſurrectionis ſatisfactione. Eſto mihi, DEUS, brachium in manè & ſalus mea tribulationis tempore. Fuge à me immunde Spiritus cum omnibus mihi nocere volentibus, & da gloriam & honorem Spiritui Sancto Paracleto & omni cætui totius cœleſtis curiæ,

curiæ, omnia à me propel-lentibus & me defendenti-bus, in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, Amen.

Quod ſi contingat ut in pe-riculum inſperatum incidas, quin & in ipſo latronũ concur-ſu ſit tibi ſaltem tanta mora, ut ſequentem precationem expe-dias, poſteaque non hebetanti animo in auxilio Divinæ Maje-ſtatis & ſanctorum Angelorum ejus ſperes, tunc certè non ſo-lùm ſecurus evades, ſed omne opus tuum cœptum proſpera-bitur:

Omni-

OMnipotens mitiſſime DEUS & pater Domini noſtri JESU CHRISTI cujus nomen tremendum adorant Sancti Angeli, ante cujus faciem ſtant Archangeli, cui Dominationes, Throni, Cherubim & Seraphin ſerviunt, ante quem tremunt cœli, maria, terra & inferna omnia & quæ in eis ſunt: Qui PASHAD, quod eſt Timor immenſus, appellatus es: Mittere

tere digneris ad me ſanctos Angelos tuos ac Duces robuſtiſſimi Samſonis, ut tuâ gratiâ & juſſu terreant & in fugam erroneam convertant omnes mihi contrarios, ut ſint proſtrati tanquam pulvis ante faciem tuam: Per Nomen Sanctæ & Individuæ Trinitatis DEI Patris, Filii & Spiritus Sancti; AMEN.

Alia

Alia Precatio, prælium, aut aliud quodvis periculum inopinatum ſubituris utiliſſima.

OMnipotens Rex Sabaoth, qui Davidi Adoleſcenti & animum & vires addidiſti, ut puſillus, inermis pugnæque rudis immanem Goliath fundâ adoriretur ac dejiceret; quia nunc coactus ad hoc periculum ſubeundum adſum, precor

ut

ut tuis ſanctis Angelis præviis ſecurus ex hac neceſſitate evadere valeam per merita Paſſionis innocentiſſimi Filii tui Domini noſtri Jesu Christi, Amen.

Alia precatio, pro iis, qui per Mare iter facere tentant, ſalutaris experta.

DOmine Jesu qui mortalem adhuc in terris carnem gerens ad diſcipulorum preces ſolo verbo

verbo immanes ventorum tumultus conpeſcuiſti, ſubitoq́; turbatas undas in magnam vertiſti tranquillitatem, quiq; ſuper undas liquidas perindè ut in ſolido ambulaſti, nimirum Rex & Conditor omnium ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris, ſive quæ in mari ſunt, tu nobis quæſo verè proſperum ac ſalutare ſydus in hac navigatione affulgeas, ut in omni elemento

mento tuæ miſericordiæ gratias agamus, cui honor & imperium in omnia ſecula; AMEN.

Breviſsima Gratiarum Actio poſt felicem ab Itinere reditum.

DOmine DEUS cœleſtis Pater, ex animo tibi gratiam habeo, quod me immerentem ex hoc periculoſo & longinquo itinere ad patrios limites feliciter reduxiſti. Hoc ſanè

ſanè beneficium tuum omni pietate & quibuscunque grati animi indiciis agnoſcam & in laudem tuam ubiq; prædicabo, per Jeſum Chriſtum Dominum meum per quem Tu mihi hoc beneficium virtute cooperantis Spiritus Sancti tribuiſti. Tibi laus, honor & gratiarum actio in omnia ſecula, AMEN.

BERN-

BERNHARDI GORDONII

Breviſsima inſtructio pro iter agentibus: quid nempe his inter peregrinandum ad conſervandam bonam valetudinem agere conveniat.

QVi longas itinerationes ſuſcipit, ante omnia corpus per Purgationem & Venæſectionem mundificet, ne deinceps corpore commoto & humoribus agitatis in febres, apoſtemata & ſimiles morbos incidat.

De

Deinde conſideranda aëris temperies, quâ iter initur. Tempore enim calido & in regione calida ſitis multùm peregrinantes aggravat. Pro hac mitiganda uſurpetur Julebus factus de Syrupe Limonum cum aqua pura fontana, vel ſimiles Julebi refrigerantes, quales ſunt violaceus & Roſatus. Inter cætera verò quæ ſitim maximopere ſedant eſt aqua fontana frigida cum modico Aceti: aut cum ſucco è limone recenti expreſſo permiſta: aut ſanè cum portione vini temperata. Si Juvenis carnoſus fatigatus ex via, la-

bore & calore tempore æſtiv[illegible]
flumen mundum invenerit, i[illegible]
illudq́; ſe projecerit & natârii[illegible]
fiet ut non ſolùm ſitis & fatiga[illegible]
tio, ſed & calor naturalis com[illegible]
fortetur.

Si verò peregrinatio contin[illegible]
gat tempore hyberno frigid[illegible]
ac rigido, utatur ſpeciebus aro[illegible]
maticis: transglutiat quolibe[illegible]
manè tria grana piperis aut ma[illegible]
ſticis integra: muniat ſe calidi[illegible]
veſtibus ac pellibus vulpiniis[illegible]
Si quis tranſiverit loca nivoſa[illegible]
proindeque ſtuporem patiatu[illegible]
in extremitatibus, is caveat ne[illegible]
approximetur aquæ calidæ au[illegible]

igni[illegible]

gni, ne â ſubita mutatione ma-
num dolorem in radicibus
nguium perſentiat, cum algi-
a membra tepori exponere
onſultius ſit.

Pedibus iter faciens, nocte
bluat pedes cum Aqua ſalſa
alida: eosque deſiccatos, quin
 juncturas, jungat mixturâ fa-
tâ ex ſævo hircino, butyro &
xungia gallinacea liquefacta,
ddito pauco oleo de Caſtoreo.
Quod ſi nimis cænaverit, ince-
at ſequenti die jejunus, donec
rapula ſit digeſta: Si verò ma-
utino tempore nimio cibo ſe
mpleverit, differat comeſtio-

nem in longum tempus, aut ſi
nauſea accedat, evomat dormi
atque multùm.

Qui per equum iter perficit,
accuratiorem victum obſervet,
& nullo modo repleto ſupra
modum ſtomacho equitet, niſi
in dolorem capitis, nauſeam,
fluxum ventris, torſionem, do-
lorem ſtomachi atque indige-
ſtionem incidere velit. Mane
cum ſurrexerit, circumambu-
let leviter, donec ſuperfluitates
digeſtionis ſint expulſæ, poſtea
equum aſcendat.

Si iter facientes conſtipati
fuerint, utantur aliquo electua-
ri

rio laxativo è foliis Senæ, Epithymo, Polypodio.

Qui navigio præſertim per Mare vehuntur, eligant ſibi locum à ſentina remotiorem: ſtetque in loco altiore: & ſi facilè nauſeat, ſedeat firmiter, odoretque panem aſſum cum aceto. Sumat pauciſſimum cibum & potum.

TANTVM.

Clariſsimo & Doctiſsimo Viro
Dn.

JOAN-STEPHANO STROBELBERGERO

Medicinæ Doctori & aulæ Svvanbergicæ Medico Ordinario, Domino affini ſuo colendo.

Poeonii monſtras nobis lux inclyta cœtus,
In quibus excellat Gallia, quidq́; ferat.
Præcipuas urbes, fluvios & aquas medicatas
Ingenii memoris dant monumenta tui.
Mirãdos fontes, raras plãtas, ut & herbas
Deſcribis, nec non docta Lycæa notas.
Exprimis obſervãda tuo ſermone diſerto.
Ergo debetur gratia magna tibi.

Ortolphus Foman D. & Collegii Jurid. Ordinarius Jenæ.

SONNET

A l'autheur de ce liuret.

MOnſieur, vous dirons nous un aultre
Ulyſſe ?
Lequel, hantant la mer & maint Pays e-
ſtrange
Pour gaigner honneur, & de vertu louange
Tourne à maiſon, fourny de gran ſageſſe ?
Ou, ſi vous plaiſt, vous dirons nous bon
Medecin ?
Lequel ſuivant l'avis du bon Hippocrates
Voulut cognoiſtre des tous lieux les quali-
ter, (fin ?
Pour mettre touſiours ſa prattique à bonne
Il eſt ainſi; qu'auer deſia fait la preuue,
Qu'en vous bon. Politique & Medecin ſi
trouue,
Ayant veu la belle France & ſes richeſſes
De cittés, fleuues, & d'herbes ſalutaires
Qu'il y a en nombre, par dons ſingulieres
De la nature, & vous aux ignorants laiſſetz.

Euſebius Schenck Med. D.
& Prof. in Salana P.

ELEGIDION

Clariſſimi & Excellentiſſimi
Viri,

Dn. JOANNIS - STEPHANI STROBELBERGERI, è monte-peſſulano Medici experientiſſimi & pro tempore Poliatri Thermo-Carolini feliciſſimi, Fautoris & Amici plurimùm honorandi, renatæ Politico-Medicæ deſcriptioni Galliæ præfloratum.

Mens generoſa rotis cœliq; ſit æmula flammis,
Et fotas alio Sole reviſit hedras:
Mobilitate viget vis ignea, Solis & inſtar
Succendit famæ ſidera plura procul:
Pulveris illuvies contra conficta metallo
E pejore, domi ſeſſile torpet onus.
Ut quamvis patriæ fiat mutatio ſedis;
Rarò tamen patriæ eſt utilis illa ſuæ.

Namque

Namq́ hæc non animi, patriæ mutatio tantum eſt, (bet.
Quam qui mutet egens pectoris anſer ha-
Non ita Caſtalidum flos ſelectiſſime, Phœbi
Gloria, Pæonii limpida lampas agri;
Mutaſti patrios, STROBELBERGERE, Penates:
In meliore tui calle fuêre pedes.
Spectaſti mores hominum, & cum moribus urbes,
Et Clariæ mixtas urbibus artis opes.
Spectaſti, & tali paſtus ſpectamine mentem,
Mentis vulgaſti cœlica dona tuæ:
Dona quibus TE præ reliquis divinitus auxit
Celſipotens arcis ſtellimicantis Herus.
Moviſti multis hac editione ſalivam.
Perge bonus plures edere mentis opes.
Macte animi quem rarus habes, nec ſupprime fœtus
Aonios, Medicæ Tiphys & Alpha ratis.
Ac SOCERO ſuccreſce tuo, quē publica clarat
Fama per Heſperias occiduasq́ plagas.
Enneas Aonidū, Charitū Trias aurea, fœtus
E Genio Muſæ quos peperêre probant.

Euge

Euge bonum factum! vivace perennior aere
Fama Tibi ad ſuperos ſurget honora thronos.
Lemniſcata Tibi ſuccinget tempora Laurus,
Quam felix Medicæ cura meretur opis.

à

M. Joanne Wilcovero P.L.
Gymnaſii Poëtici Rasisbonenſis Conrectore.

In Politicam Medicam Galliæ, Clariſsimi & experientiſsimi Viri

Dn. JOANN-STEPHANI STROBELBERGERI,
Phil. & Medicin. Doctoris eximii, &c.

MVlti multa vident oculis, & lata potentum
Regna per Europã luſtrant, urbesq́ hominesq́,
Regna vident, urbesq́ vidẽt, moresq́ hominesq́,
Nec

Nec ſatis exquirunt ſolerti mente locorum
Quis ſitus & natura ſiet, ſit quæve probata
Forma πολιτείας, *fugiendum quidve ſequendum.*
Strobelbergerus *non ſic verſatus in orbe eſt,*
Non oculis tantum luſtravit Gallica rura:
Sed quoq; mente ſitum cognovit ritè locorum,
Illuſtresq; Scholas, fontes viditq; ſalubres,
Cognovit vires herbarum, Gallica tellus
Quas profert varias, atq; ubertate benignas.
Vidit, cognovit, viſa haud invidet, at illa
Communicat multis parvo memorata libello
Mole, ſed inſigni doctrinâ, crede, referto.
Tu quicunq; igitur Gallorum tendis ad oras,
Oppida & inde ſcholas, fontes viſurus & herbas:
Hunc eme, volve animo, crebroq; revolve libellum,
Cujus tu monito cognoſces ritè locorum
Naturam atq; ſitum, cognoſces mente remota

Oppida

Oppida, quas herbas jactant hinc inde ſalubres,
Flumina, quasq́ ſcholas Gallorum terra ſalutat:
Auctoriq́ refer grates pro munere tanto,
Proq́ animo prompto, quo te formavit euntem.

Gratulationis & obſervantiæ ergò fecit

M. Reinhardus König
Marpurgenſis Haſſus.